

WIDENER LIBRARY
HX 3JIZ $


VE RI
TAS



Bibliopolæ Ducal. Meclenb.
Anno 1706.



ANALECTA GÜSTROVIENSIA,

h. e.

DE

INCLYTA MECLENBURGENSIUM CIVITATE

GÜSTROVIA

Urbium in vetustissimo Venedorum Principatu principe,

QUÆDAM

ad notitiam antiquariam ac literariam facientia, memoriamque illustrium ac clarissimorum Virorum resuscitantia

MOMENTA,

E variis editorum pariter ac ineditorum documentorum latebris studiose conquisita, & continuo rerum annorumque nexu ita disposita,

Ut seriem Historiæ Güstroviensis per DC. annos summatim exhibere, Rebusq; Meclenburgicis lucem aliquam afferre possint,

concinnavit ediditque

FRIDERICUS THOMAS,

Gymn. Güstrov. h. t. Subrector. m. 17/8.

GÜSTROVIÆ & LIPSIÆ

Sumtibus Joh. Henrici RusWormii,

Bibliopolæ Ducal. Meclenb.

Anno 1706.

V I R I S
insigni Virtutum splendore,
amplissimâ Munerum dignitate,
illustrique meritorum gloriâ
conspicuis eminentibusq;,
MAGNIFICIS, PRÆNOBILISSIMIS
CONSULTISSIMISQUE
DOMINIS,
DN. JOHANNI ALBERTO
SCHÜZIO,
JCto dudum excellentissimo, Serenissimique Ducis Meclenburgici Regentis à Consiliis Aulico-Cameralibus intimo Ministro;
DN. PETRO TORNOVIO,
U. J. D. consultissimo,
Consiliario Ducali Meclenburgico, & Civitatis Güstroviensis Consuli jam Præsidi;
MÆCENATIBUS, PATRONIS ATQUE FAUTORIBUS SUIS SUMMOPERE VENERANDIS,

Hæc
de Güſtroviâ Urbe,
(in cujus Ornamentum atque Præſidium
Ipſi & nati & conſervati ſunt)
Analecta Hiſtorica,
in qualemcunque obſequioſæ gratitudinis ſuæ teſſeram veluti ulteriorem Ipſorum favorem ac benevolentiam ſibi conciliaturus
demiſſâ mente manuque
cum voto perpetuæ proſperitatis
D. D. D.
ſimulque ſemetipſum ad omnem animi obſtricti obſervantiam officiiq;
liberalis promtitudinem
ſtudioſiſſime commendat
FRIDERICUS THOMAS.

Lecto-

Lectori Benevolo S. P.



Icerunt tandem illorum consilia atque monita, quorum voluntas & auctoritas plurimum apud me valet, ut, quicquid de rebus Güstrovicis collegissem, in lucem aliquando prodire paterer, atque e tenebris plus quam Cimmeriis illustrium & clarissimorum virorum memorias vindicarem. Non vero animus fuit integrum aliquod Chronicon Mechleburgense contexere, quod nonnulli quidem moliri me suspicati sunt: hoc enim nec tempus, nec ratio, nec facultas mea unquam permittet. *Analectis* quibusdam *literariis* pascere animos in Historia curiosorum magis consultum videbatur. Cum enim inciderem in Scriptores, qui mihi per succisivas horas tempus fallere solebant, sæpe honorificam Urbis Güstroviæ mentionem facientes, non potui non enotare atque excerpere inde, quæ alicujus viderentur momenti, ut ipse mihi notitiam qualemcunque s. historiam compararem ejus loci, in quo me DEUS non educari modo a teneris annis, atque pluri-

mum ætatis degere, ſed tandem & educare alios & ad politulam ætatem inſtituere voluit. Quo igitur divina benigniſſimi Numinis beneficia in Nutricem hanc urbem collata paternamque omnia Moderantis providentiam ab ultimis temporibus ad noſtram usque memoriam repeterem piaque mente recolerem, cœpi *Analecta* iſtiusmodi in ordinem redigere, & rem cum re, tempus cum tempore, Scriptorem cum Scriptore comparare, omniaque ita connectere, ut Paralleliſmus quidam Hiſtoriæ Meclenburgicæ appareret. Ut vero conſtet, quâ fide egerim, quâve auctoritate nitântur hæc *Analecta*, pauca de Auctoribus, qui argumenta ſuppeditarunt, deque cæteris, quæ materiam præbuerunt, Monumentis, hîc præfari operæ pretium erit. Foris conſulebantur præcipue *Annales Pomeranici*, qui de primo Güſtrovienſium chriſtianiſmo nonnihil memoriæ prodiderunt. In promtu erat *Thomas Kantzovius*, Scriptor integerrimus, Ducis Philippi I. olim Secretarius, qui 1542. reliquit Chronicon Pomer. MSC. cui *Cramerus* & *Micrælius* plurimum debere mihi videntur in Operibus ſuis luci publicæ expoſitis. Præter hos nonnunquam & alii adhibebantur peregrini,

grini, quibus tamen non æque proficere potui. Inter domesticos primas tenet *Nicolaus Mareschallus* Thurius s. Thuringus natione, Ducum Meeleburg. *Henrici Pacifici* & *Alberti Pulchri* p. m. Consiliarius Aulicus LLque ac Canonum Doctor in Academiâ Rostochiensi † 1525. d. 12. Jul. qui præter *Annalium Herul. ac Vandal. Libros VII.* Rostoch. 1521. idiomate latino in fol. editos, & *Chronicon Mechleb. Rythmicum* Mecklenburgische Reim-Chronic. V. Libris stilo german. contextum, reliquit etiam *Deflorationes antiquitatum ab origine mundi* V. Libris Rostoch. edit. 1522. in Octav. *Historiam aquatilium latine ac græce* cum figuris Libr. II. Rostoch. 1520. in fol. edit. *Institutiones reip. militaris ac civilis* Libr. IX. cum figuris Rostoch. 1515. in fol. edit. Item *de Sacrilegio Judæorum Sterneberg.* A. 1491. commisso, stylo germ. edit. 1510. Equidem hic profunde doctus Scriptor multum tribuit fabulis atque commentis veterum more istius Seculi, nonnullosque in chronologicis fovet nævos, excusandus tamen pro illo, quod non aliter ferebat, tempore. *Johannes Bocerus*, Profess. in Academ. Rostoch. anno 1556. edidit *de Origine & rebus gestis Ducum Mecleburg. III. Libros* terso carmine

mine eleg. compositos, qui Mareschalli sequitur vestigia. Quemadmodum vero *Helmoldi* Chronico Slavorum *Bangertinis* Notis illustrato, *Alberti Cranzii* Vandaliâ ac Metropoli, *Chytræi* Saxoniâ nemo hactenus carere potuit, qui de Antiquitatibus Meclenburgicis solicitus fuit, ita & in Analectis hisce haud raro utramque complebunt paginam. In *Bernhardi Latomi* (qui Neo-Brandenburgi apud Stargardiacos & Flensburgi apud Cimbros Rectorem Scholæ egit, † 1604.) *Chronico Mechleb.* MSC. latere multa in rem nostram profutura, valde suspicor, sed quoniam nec prece nec pretio ejus potiri licuit, contentus fui Continuatore ipsius *Johanne Friderico Chemnitio*, Secretario primum Cancell. Güstrov. postea Protonotario in Judicio Provinciali Parchimensi, qui præter *Chronicon Mechleb. MSC. Epitomen* etiam *Genealogico-Historicam* contexuit, scitum opus (si ab infinitis, quibus describentium inscitia maculavit, mendis purgetur) hactenus ἀνέκδοτον. Nec prætereundi sunt *Petrus Lindenbergius*, *Bernhardus Hedericus*, *Michael Cordesius*, quorum ille Antiquarius & Professor Rostoch. scripsit *Chronicon Rostochiense* anno 1596. editum, iste Sverinensis Scholæ Rector

Chro-

Chronicon Suerinense 1596. edidit, hic Theologus Parchimensis *Chronicon Parchimense* 1670. in lucem emisit, in quibus identidem rerum Güstroviensium facta est mentio. Accesserunt ex Archivo cum ædis Cæcilianæ tum Curiæ oppidanæ nostræ benevole nobiscum communicata instrumenta & fragmenta diplomatum priscorum, quæ rebus narratis abunde fidem faciunt. Privatis nonnullorum schediasmatibus quantum debeamus, suo loco non dissimulabitur. Hujusmodi fere sunt, Benevole Lector, quorum fide atque auctoritate stant Analecta nostra: nec aliud quicquam, nisi quod solidis documentis comprobari queat, hic scriptum esse, velim tibi persuadeas. Et ne quis verba temere esse data diceret, ab omni phalerata dictione prorsus abstinere remque plane & proprie, quæ Historicorum lex est, exponere libuit. A veritatis tramite nusquam ego, quod sciam, aberravero, licet me ab omni errore prorsus immunem non pronunciavero. Hinc est, quod Eruditum quemque ac cordatum Lectorem summopere etiam atque etiam nunc rogem & obsecrem, si quid erroneum, si quid dubium, si quid vel mutandum vel supplendum ipsi videatur, ut amice sive

co-


coram sive per literas me moneat aliterque doceat sufficientibus argumentis: tum primâ quâque occasione retractabo, mutabo, supplebo, &, quorum monitis profecerim, honorifice prædicabo. Bene vale L. B. conatibusque nostris te æquum ac faventem præbe.

* * *

In hoc Schediasmate analectico *tribus Periodis* expedientur omnia: quarum *prima* de primordiis; *altera* de incrementis; *tertia* de ornamentis Güstroviæ aget; *Quarto* autem loco subnectetur Personarum, quæ in Ecclesia ac Politia Güstroviensi à tempore Reformationis Lutheri cum laude vixerunt *Catalogus Biographicus*.



Rerum



Rerum Güstroviensium

PERIODUS PRIMA,

De

Güstroviæ primordiis.

§. I.



Rigines Rerum publicarum atque urbium nosse, multum omnino juvat, licet verum sit, quod summus Romanorum Politicus ille (*) pronunciavit: *quæ præclara dicuntur, ea fere omnia à tenuibus initiis sumsisse exordium.* Quid judicemus de *Güstrovia* nostra? Haud ignobilem hanc in inclyta Meclenburgensium Republ. & nostro & superiori ævo Urbem fuisse, nemo facile inficias ibit, nisi rerum nostrarum sit rudis ignarusque omnium. Ecquis vero aliud ejus, quam tenue, quam vile principium animo sibi suo conceperit? At dabimus tamen

Initia Güstroviæ tenuia & obscura.

A pro

pro tenuitate nostrâ operam, ut, quæ levia hîc videntur & prope despecta, ita è tenebris suis in lucem proferantur, ut momenti aliquid afferant in Historia patriæ, in quâ plerique sumus hospites. In hac igitur Periodo, quâ *de Güstroviæ primordiis* disseritur, &, à quibus olim conditoribus prima urbis nostræ fundamenta fuerint jacta, & quæ ultima ejus sive antiquissima sit memoria, indagabimus.

(*) Cicero de Consolat.

§. II.

Güstroviæ primi conditores Slavi atque VVendi.

In primi quidem qualiscunque fundatoris personam frustra inquisiveris; Gentem vero fundatricem tanto faciliore indagabis negotio, quanto evidentiora adhuc vestigia vel in ipsa loci denominatione, vel antiquis etiam Historiæ fragmentis apparent. Appellatio *Güstroviæ* nil nisi Slavismum redolet, ut & aliarum plerumque urbium in his terris appellationes. Quemadmodum enim in ipsâ Sarmatiâ, posteaquam à *Slavis* cœpit inhabitari, frequens ea oppidorum remansit denominatio, quæ in *owa*, *owe*, *ow*, Slavisco more terminatur, ut *Cracow*, *Warschow*, *Jaworow*, *Ostrow*, *Rostow*, *Zarnow*, *Grabow &c.* ita nec apud nos ejusmodi denominationis desunt vestigia, e. g. *Cracow*, *Tetrow*,

Mal-

Malchow (olim *Malakowe*), *Buckow*, *Bützow*, *Grabow*, *Ilow*, *Güstrow*, &c. quæ procul dubio æque Sarmaticæ Slavicæque sunt originis, atque illa, cum ex Sarmatia ista *Slavi* omnes (quos modo *Henetos*, modo *Winithos*, modo *Venedos* s. *Wendos*, germanice die Wenden/ vetustas appellavit) factis quasi agminibus locustarum instar huc advolaverint, ac diffusi pristinas *Vandalorum Herulorumque* sedes, fatalibus horum migrationibus Seculo Christ. V. vacuefactas, occuparint (α), atque illo ex tempore cum superstitibus *Vandalis* permixti oras cis-balthianas omnes multa per Secula incoluerint, constitutis ad lacus & flumina, ubi commodum ipsis videbatur, villis suis vicisque, perexiguis quidem initio, sed crescentibus cum tempore & indies majorem civitatum faciem ac formam induentibus (β). Cœpit autem ingens isthæc rerum commutatio vertente Seculo Christianorum quinto. Unde constabilitis hîc rebus suis floruerunt advenæ *Venedi* per Secul. VI. VII. VIII. vicinis Saxonibus Danisque formidabiles, quibuscum haud raro arma contulerunt vel manus conseruerunt, maxime circa fines ac limites, de quibus vel tuendis vel amplificandis admodum soliciti fuere Slavi. Intra fines autem suos ipsi plerumque tuti ac tranquilli

(α)

(β)

vixerunt, rebus suis consulentes, villis frequentibus ac vicis terram excolentes, suisque moribus, institutis, religione, linguâ omnia ubique permiscentes. Quæ nova rerum facies tum nova quoque nomina intulit in has regiones, ut, qui olim *Vandali*, *Varini Herulique* dialecto Teutonicâ appellati fuerant, jam non communiter modo *Heneti* s. *Wendi* s. *Slavi*, sed distinctè etiam alii *Obetriti*, alii *Wagrii*, alii *Polabi*, *Kissini*, *Circipani*, *Lutitii*, *Tollensi*, *Redarii*, *Werlii* (Heruli s. Wendi κατ' ἐξοχὴν) dicerentur. vid. Bangert. in Not. ad Helmold. Chron. Slav. Lib. I. cap. 2. pag. 11.

(a) *Venedi* probe discernendi sunt à *Vandalis*, quos vulgus Historicorum Cranzii inprimis auctoritate deceptum pro una eademque gente habere & promiscuè Wenden appellare consuevit. Distinctas vero à se invicem Gentes esse, præ cæteris *Micralius*, *Bangertus*, *Schurzfleischius* aliique summi Polyhistores evidentibus rationibus satis superque demonstrarunt: ille in Pomerania antiqv. iste in Commentar. ad Helmoldum, hic in Dispur. Histor. de Rebus Slavicis. E quibus id tribus tantum verbis hîc notâsse juvat: I.) *Vandali* (diversis auctoribus Vindili, Vinuli, VVinuli, german. die Wandalier oder Wandeler) *fuerunt aborigines & primi horum locorum incolæ, gens Teutonica*, inter quos *Varini* (die Warner/ Warler/ Werler lat. Heruli) Meclenburgensem tractum ad Varni Fl. ri-

pas

pas incoluerunt jam ante & post CHRISTI Servatoris incarnationem. II.) *Vandalis atque Herulis Seculo V. in Provincias Romanas demigrantibus terrasque avitas populo denudantibus successerunt e Russia, Livonia, Litthuania Slavi s. Venedi s. Heneti* (die Wenden oder Slaven) gens Sarmatica atque Scythica (ein undeutsches Volck) cujus pars *Obetriti* apud Meclenburgenses cæteris nobiliores extiterunt, præsertim Caroli M. ætate. III.) *Venedos tandem, cùm nulla ratione ad Christianismum amplectendum adigi possent, funditus exstirpatos excepére Saxones Seculo XII.* ex agro Bremensi, Brunsuicensi, VVestphalicoque huc frequentibus coloniis translocati, qui linguam suam, mores & statuta nobis posteris adhuc reliquerunt.

(β) In Urbibus extruendis olim *Venedi* superasse Germanicas nationes videntur Hermanno Conringio, cujus in Tract. de Urb. Germ. hæc sunt verba: *In exstruendis urbibus Germanicas gentes superarunt Venedi illi, qui circa Secul. Chr. Sextum, quicquid est inter Salam & Vistulam fluvios, mare Suevicum vel Balthicum usque in Holstenios Saxones ea tempestate habitatoribus Germanis vacuum, occuparunt. Hos enim jam ætate Caroli M. & urbes & castella coluisse, suaque habuisse ad Balthicum mare emporia, haud difficile est probatu ex Francicis annalibus omnium antiquissimo harum rerum monumento; memorant enim Obotritorum trans Albim quadam castella & urbes*, &c. Id quod Annalibus Meclenburgicis atque Pomeranicis respondet, in qui-

bus Meclenburgum (Mikilenborg)/ VVerla, Kissinum, Stargard, Rhetá, (Rhetra), VVineta, Dimine, Dobin, Ilovv, Malchovv &c. passim celebrantur.

§. III.

Güstrovia videtur jam ante Caroli M. imperium in Villa modum exstructa.

Ad prima igitur tempora, quibus dispalati per has terras floruerunt *Venedi*, maxime respiciendum esse suspicor, ultimam vicorum à Slavis olim constitutorum originem solicitius investigaturis; non autem ad sequiora: quoniam à tempore Caroli M. Augustissimi Imperatoris nimirum Secul. IX. X. XI. XII. magis magisque inclinari res Slavorum ac pessum ire cœperunt, Franconibus Saxonibusque signa victricia in gentem ejusmodi paganissimam inferentibus jamque intra fines eandem debellantibus, nec prius quiescentibus, quam obtriti essent *Obetriti Venedorumque* gens omnis & nomen pene ad internecionem redactum. Tantum verò abest, ut turbulentis his Seculis novis oppidis vicisque exstruendis operæ dare quicquam potuerint Venedi, ut potius olim à se exstructa ab hostibus tum destructa omniaque sibi indies arctiora viderint, salutem extremam in silvis, æstuariis & paludibus quærentes. Et quanquam propitio marte nonnunquam utentibus salus pristina & libertas ipsis videbatur reditura, ut recreati rursus vires ac opes

opes redintegrare cœperint; minus tamen diuturna illa fuit felicitas, & otii vix tantum miseris datum, ut desolatas casulas paululum instaurare valuerint, denuo subnascentibus novi belli turbis longe funestioribus. Quæ passim ex Adamo Bremensi, Helmoldo, aliisque Scriptoribus patent.

§. IV.

Complures hic civitates ac villæ veterem Slavismum redolent.

Quare vel sexto, vel septimo, vel octavo, quæ Caroli M. ætatem antecesserunt, Seculis primos natales suos debere puto, quicquid a Slavis aut in villæ modum initio congestum, aut in civitatis formam postea redactum inde ad nostrum usque ævum Slavicam s. Wendicam appellandi rationem retinuit. Retinuerunt vero eandem loca paulo ante commemorata, quorum terminatio *owe* s. *ow* latentem in se radicem Slavonicam satis quidem arguit atque prodit. Retinuerunt & alia passim, quorum integra denominatio est mere ac pure Slavonica (cujusmodi quidem nonnulla licet videantur recentiora, Slavismum tamen qualemcunque redolent) e. g. *Röstock* aut vetere scribendi more *Rozstock* denotare terram uliginosam s. divisionem aquarum, ab ipsis Polonis edoctus Petrus Lindenbergius in Chronico suo Rostoch. Lib. I. c. 6. n. 3. item in To-

pograph. Roſtoch. ſub init. tradit. *Ribeniz* à Ryba (piſcis) aut. Rybny (piſcoſus) tanquam locum piſcoſum; *Streliz* à Strelec (jaculator, ſagittarius), *Dobran* & *Dobertin* à Dobry (bonus) ob fundi bonitatem; *Gnojen* à Gnoy (fimus) ſ. gnoje (ſtercoro) de ſtercorandis agris; *Plaw* à plawa (crates lignorum ſ. navigatio) à præterlabentibus cum Elda fl. ratibus vel navigandi ſcaphisque vehendi opportunitate, haud temere derivari poſſe, nemo inficias ibit, qui vel primoribus labellis deguſtavit Polonicos fontes. Eſt vero Polonis Wendisque tanta oris ac linguæ convenientia vel propinquitas, ut paucis quibusdam dialectis à ſe invicem diſtent iſtæ nationes; immo ſunt, qui affirmare auſint, vix tantam eſſe inter Polonos Wendosque loquendi discrepantiam, quanta in Germania noſtra Saxones inter ſuperiores ac inferiores hodie occurrat.

§. V.

Etymologia Güſtrovia Slavica ſ. Wendica.

Si quis eâdem igitur ratione ex Polonico ſeu Wendico idiomate alludere ad *Güſtroviam* vellet, non adeo magna opus foret indagine. Vel enim obſervatâ vetere ſcribendi conſuetudine, quam Tabulæ & Diplomata antiqua referunt, *Guzſtrow* ſ. *Guzſtraw* videtur conflatum eſſe e compoſito *Guz-trawa*, ut prius *Guz* ſ. *Gus* gibbum,

tu-

Observat. ad Period. I. §. V.

VEteres paulo aliter, quam nos hodie scribimus, expressisse Nomen Civitatis nostræ, apparet inter alia ex *Sigillo Civitatis majori*, quod more suo antiquo *Taurum silvestrem* refert cum hac Epigraphe:

SECRETUM BVRGENSIUM DE GVZTROWE.



nber
ua g
mis
colle
1 dedis
gnat,
sum
arem
ur, u
tum
pascu
uæ
a f
ad h
oppo
ex G
dun
Gü
fis
nu
ftag
que
olim
nia
vide
vult
Rur
revi
vien
urbi

tuber f. tumulum; posterius autem *Trawa* gramen Polonis significat: quasi primis conditoribus hic locus ob gramineos colles arrisisset, indeque appellandi ansam dedisset. Id quod nec naturæ loci repugnat, præsertim si pristinum urbis situm positumque spectes: nam extra portam molarem, quâ ad villam proximam *Suckow* itur, ubi *vetus Güstrovia* olim stetit, etiamnum nil nisi lætos tumulos collesque compascuos & arva gibbosa conspicari licet, quæ primis cultoribus *Guz-trawny tumulus f. gibbus gramineus* appellari satisque ad habitandum ac villas inibi condendas opportuna videri potuerunt. Vel si etiam ex *Gesty* (frequens, creber) & *Row* (vadum, alveus) vocem deduxeris, ut ideo *Güstrovia* denotasset *locum vadis aut fossis frequentem*, hoc ab re non omnino alienum foret, cum ob Nebulæ fluminis & stagnorum proximorum confluentiam neque paludes neque vada adhuc desint, aut olim deesse potuerint. Vel denique *serenitas* quædam *cœli temperiesque climatis* videtur nomen peperisse huic loco: quod vult *M. Joh. Colerus*, qui in *Oeconomia Rural. ac domest.* lib. 2. c. 4. ubi de re cerevisiariâ & speciatim de Knisenaco Güstroviensi agitur, obiter quædam de Etymo urbis nostræ interserit, putatque Güstrow

apud Wendos idem sonare, quod apud Germanos Schön-Wetter s. Schönau. Verùm facessant ejusmodi conjecturæ fallaces, inquirant ulterius qui velint, quique magis linguæ Slavonicæ & Wendicæ sunt gnari; nobis hic indagasse sufficiat, *Güstroviam* originem ultimam suam, ut ex ipsa nominis impositione patet, Slavis antiquis & Venedis debere; à quibus & cerevisia urbis nostræ primaria, quam *Knisenack* s. *Kneesnack* vulgo appellamus, nomen videtur adepta. Hujus enim radix est *Knisè* s. *Knese*, quæ Principem vel Dominum apud Venedos significat, quæque apud Russos hodienum atque Bohemos, Slávonice loquentes, in usu est (conf. M. Michaelis Adami à Weleslavina Sylvam Vocabulor. & Phras. Bohemicarum anno 1598. Pragæ edit. in voce *Knise*.) ut censeatur iste potus maxime pro Dominis olim fuisse coctus; vel quod dominium s. principatum quendam in reliqua cerevisiarum genera obtinuerit, quemadmodum & hodie apud exteros in maximis habeatur deliciis. Verum de hoc etymo inferius erit commodior indagandi locus.

§. VI.

Slavi seu VVendi nostri haud fuerunt ignobiles olim.

Nunc etiam, quibus moribus, institutis, sacris imbuta olim fuerit Güstrovia abs conditoribus istis Slavicis, operæ pre-

pretium erit indagasse. Nomen quidem *Slavorum* celebritatem quandam ac gloriam avitæ genti videtur impertiisse, cùm *Slawa* apud Sarmatas *famam* seu *gloriam*, & *Slawny illustrem* aliquem nobilemque (α) significet, ut inde, gloriæ ac splendori (α) olim serviisse (β) Slavorum nationem probabile fiat. (β) Idem quoque velle paulo vetustius *Venedorum* seu *Wendorum* vocabulum, ex Jornande docet Micrælius in Pomer. antiqv. Lib. II. §. 130, quamvis Cluverio aliisque alia, à *Wenda*, quod hamum piscatorium significet, ducta, magis probetur derivatio. Et ipsum *Obetritarum* nomen, si propius accedamus, pristinæ aliquid nobilitatis & gloriæ præ se fert, quod D. Nicolaus Mareschallus in Annal. Herul. Lib. II. c. 1. & in annexo Comment. Etymolog. voc. Obetritæ, ex Græcia derivavit, quasi *Obetrita* ὠβὴν τερπνὴν h. e. tribum seu cohortem pulchre distinctam denotassent, german. eine bunte Rotte oder Guarde. Atque gentem nostram ita fuisse dictam putat *a vestium seu armorum varietate & munditie, more Argyraspidarum, olim sub Alexandro M. militantium, & ab armis suis argenteis picturatisque insignibus ita cognominatorum.* Nec omnino vana videtur Mareschalli conjectura: quod si enim Obetritarum gens illa, se

olim

olim Græcorum sub Alexandro M. castra in majoribus suis (quorum primipilus constanti traditione perhibetur *Anthyrius* (γ) secutam professa sit atque gloriata; quidni nomen etiam Græcum in tanto majorem traditionis suæ fidem affectaverit sibique arrogaverit? Inveteravit hæc quidem opinio apud nos; at metuo, ne vara trahat vibiam. Præstat illorum sententia, nec quicquam derogat nobilitati avitæ gentis, qui existimant, *Obodritas* (nam sic vetustiores etiam scripserunt) dictos esse quasi *Obdoritas*, quòd ex *Obdora* Scytharum ad Obium fl. regione huc olim demigraverint patriæque nomen præ aliis retinuerint.

(α) Comprobant hanc derivationem Nomina quædam Slavorum propria. Sic e. g. *Vladislaus* dicitur quasi gloriam habens à potentia: *VVenceslaus* i. e. major gloriâ: *Miecislaus* gloriam gladio quærens: *Premislaus* arte sibi ingeniove gloriam parans: *Bogislaus* pietate in Deum clarus. Quæ omnia è *Slawa* radice sunt Slavicæ compositionis.

(β) Quod autem postea quemlibet Servum Sclavum (einen Sclaven) appellarint Germani, id nil derogat veteri Slavorum gloriæ: hoc enim inde profectum censent, quod illustris ea gens extremo tempore in servitutem a Christianis redacta tot mancipia dedit: quemadmodum etiam in devictis aliis gentibus *Getas*, *Dacos* (Davos), *Syros*

Syros &c. suos cognominabant servos antiqui, confer. Henel. Silesiograph. c. 1. §. 25. pag. 81. 82.

(*y*) Sunt hodie, qui omnem huic Traditioni fidem detrahunt, fictæ instar fabulæ habentes, quidquid de *Anthyrio* Annales nostri prodiderunt. At sinistre judicant, nec ipsi fidem merentur tales Critici. Magis probantur illi Scriptores, qui nec omnem ejusmodi antiquitatem temere rejiciunt, nec omnem promiscue admittunt. Medio & hic tutissimus ibis. Sobrie rem agit Clariss. *Andr. Borrichius* in Not. ad celeberr. *Masii* Antiqu. Meclenb. pag. 75. cujus verba non possumus non huc transscribere: *Multa quidem ex iis dubia sunt, quæ de Anthyrio referunt Scriptores; non autem ideo, ut vana rejeceris omnia. Varient auctores rerum: neque inter antiquos Græcos & Latinos de iis convenit, quæ ἀδήλῳ & μυθικῷ gesta scribunt, cum incorrupta temporum monumenta deficerent, quæ sequerentur, testantibus Diodoro, Dionys. Halicarn. Livio &c. Sed quis ideo de temporibus illis falsa omnia narrari dixerit? Priscis etiam Germanis cum deessent, qui Heroũ gesta plene & accurate scriberent, ad posteros non nisi rumore vago memorata transmittebantur præclara majorum facinora, vel carminibus quibusdam celebrata; quod unum apud Germanos notante Tacito Germ. c. 2. memoriæ & Annalium genus erat. His omnem demere fidem temerarium est.*

§. VII.

§. VII.

Slavorum mores, quibus inclaruerunt.

Utcunque autem sese res habet, non ignobilem fuisse Venedorum aut Slavorum nationem, satis ex Auctoribus, qui eorundem res gestas memoriæ prodiderunt, notum confirmatumque habemus. Penitus res Slavorum non ita dudum perscrutatus est celeberr. in Acad. Witteberg. Polyhistor *Schurzfleischius*, qui multa paucis complexus in Dissertatione sua de Reb. Slav. *Gentem fuisse*, ait, *inquietam, in bella pronam, asperi moris tenacem, servitutis ac jugi impatientem, libertatis & quidem summæ vindicem, sacra, ritus, ceremonias Christianorum maxime aversantem, victam denique magis quam domitam. Helmoldus*, veterum Scriptorum dignissimus fide, *omne hoc genus hominum* dicit *idololatriæ cultui deditum, vagum semper ac mobile, piraticas exercens prædas, ex una parte Danis, ex altera Saxonibus infestum fuisse*, Chronic. Slavor. Lib. I. c. 2. n. 13. De barbarâ ipsorum crudelitate alibi *Helmoldus* (c. 52.) ita commemorat: *Fuit Slavorum genti crudelitas insita, saturari nescia, impatiens otii, vexans regionum adjacentia terrâ marique; quanta enim mortium genera Christicolis intulerint, relatu difficile est, cùm his quidem viscera extorserint, paulo circumducentes, illos cruci affixerint.*

Idem

Idem veracissimus auctor de clandestinis eorum insidiis docet (Lib. II. c. 13.) *Slavorum animi naturaliter sunt infidi* (*) *& ad malum proni, clandestinis insidiis maxime valent. Unde etiam recenti adhuc aetate latrocinalis haec consuetudo apud eos invaluit, ut omissis penitus agricultura commodis ad navales excursus expeditas semper intenderint manus, unicam spem & divitiarum summam in navibus habentes sitam.* Sed in ista Venedorum barbarie fuit tamen, quod aliquam mereatur laudem, nimirum Hospitalitas, de qua Helmold. l. c. Lib. I. c. 83. n. 9. *nulla gens*, inquit, *honestior Slavis in Hospitalitatis gratia: in colligendis enim hospitibus omnes quasi ex sententia alacres sunt, ut nec hospitium quenquam postulare necesse sit; quicquid enim agricultura, piscationibus seu venatione conquirunt, totum in largitatis opus conferunt.* &c. &c.

(*) *Slavi infidi.* Hinc factum, ut *fides Slavica* aeque ac Graeca olim apud priscos in proverbium abiret pro *subdola* & *fallaci.* Id quod imprimis genti exprobravit *Goldastus*, & aliorum auctoritate comprobavit. At ab hoc crimine gentem suam vindicare etiam atque etiam studet *Balbinus* in Histor. Bohem. confer. Henel. Silesiograph. c. I. §. 25. p. 82.

§. VIII.

§. VIII.

Slavorum apud nos sacra.

Ad Henetorum *sacra* quod attinet, non omnibus una eademque fuit ſuperſtitio, ſed gens in diverſas diſperſa tribus ſ. cohortes diverſa etiam coluit Numina, quibus non beſtiarum modo, ſed & humano, maxime Chriſtianorum in bello captorum, ſanguine litare conſuevit. *Obetritarum* vero cæterorumque contribulium in his terris idololatriam *Helmoldus* paſſim in Chronico ſuo Slavorum inprimis Lib. I. c. 52. (53.) memoriæ prodidit; & peculiares Deaſtros *Radegaſtum*, *Prowen* & *Siwan* clariſſimus *Bangertus* non figuris modo illuſtravit, ſed pluribus etiam verbis expoſuit in Commentario ſubjecto pag. 125. 126. 127. Egit autem præcipue de Venedorum religione aliisque ritibus ſacris pariter ac profanis *Nicolaus Mareſchallus*, Scriptor nobis domeſticus, in Annal. Herul. Lib. I. c. 8. 9. qui nobiliſſimus auctor in eo tamen notandus eſt, quod Herulos ac Venedos diſtinguendos pro una eademque habuit gente. Noſter etiam *Elias Schedius*, juvenis ſupra ætatem literatiſſimus, in ſuis, quæ *de DIS Germanis* conſcripſit, *Syngrammatibus*, idola quoque Vandalorum (potius Venedorum) eleganti & erudito depinxit penicillo. Verum enim vero idem argumentum nuper egre-

gie

gie pertractavit celeberrimus Haffniensium in Dania Theologus *Hect. Godofr. Masius* in *Schediasm.* de *Antiquit. Meclenburg.* Ann. 1700. edit. quo libello nihil in hoc quidem genere præstantius & limatius: quoniam exactâ & accuratâ lance rem omnem examinavit auctor, veraque à falsis probe distinxit. Güstroviensibus igitur eandem & consuetudinem & superstitionem cum cæteris Venedis fuisse communem, antequam ex Cimmeriis paganæ idololatriæ tenebris ad clarissimam cœlestis Evangelii lucem converterentur, minime est dubitandum, quippe qui in Venedorum hic meditullio fuerant positi.

§. IX.

Güstrovia cœpit innotescere ineunte ac vertente Seculo Christ. XII.

Hæc talia probabiliter quidem de *Güstrovia* conjectare, nec tamen plura verisimiliter inde colligere audeo, quoniam illiterata Seculorum istorum barbaries posteritati fere omnem invidit Historiam, inprimis quæ urbium nostrarum ultimas producat memorias & origines. Nam si vel omnes, quos nancisci potueris, annalium conditores consulas, vix tamen ulla aut nominis aut memoriæ vestigia de *Güstrovia* tibi occurrent ante Secul. Christ. XII. quo fatali Seculo & stetisse & cecidisse rem Slavorum Venedorumque in his terris, inter omnes constat. Tum quidem *Güstrovia*

omnium prima mentio mihi videtur facta (salvâ tamen aliorum indagine) ab Annal. Pomeran. Scriptoribus, quos summo studio ac labore pervestigavit *Jo. Micralius*, Polyhistor Stetinensis suâ ætate clarissimus, præcipuaque rerum priscarum monumenta recensuit in *Historia suâ* tum *Politica* tum *Ecclesiastica*, maxime autem *in opere Germanico antiqua Pomerania* (Historie des alt. Pommer-Landes). Hic egregius auctor Histor. polit. Lib. III. Sect. XII. pag. 680. de Ducibus & propagatoribus Sereniss. stemmat. Pomeran. præter alia hæc habet: *Wartislaus I. Episcopam Julini fundavit: varia cum vicinis bella gessit: novam Marchiam & Ucariam cum Lutitia & Primislavia usq; ad GÜSTRO-*
A. C. 1107. *VIAM sibi submisit A. C. 1107.* confer. Daniel. Cramer. Hist. Pomer. Eccles. Lib. I. c. 9. p. 12. Unde, *Güstroviam* Seculo XII. ineunte haud ignobilem inter cæteras fuisse civitatulam, neque hac nobiliorem fuisse aliam cis Pœnum fl. à Demmino urbem, quæ tum temporis finibus Pomeranorum esset opposita, mihi videtur probabile: a potiori enim solet fieri denominatio. Rebus Obetritorum eo tempore præfuit Rex *Henricus*, *Godescalci* filius, *Bilungi* trinepos, qui delecto sibi in vetere Lübica s. Lübeca domicilio regio rebelles Vene-
dos,

dos, eosque Rugios maxime, ad officium redire coëgit, strenuus rei christianæ apud Venedos assertor ac propagator. vid. Helmold. Lib. I. c. 34. 35. 36. Hæc prima omnium, quantum ego quidem recordari possum, *Güstroviæ* est mentio sive memoria. Sequitur altera multo major, quam pariter debemus Annalibus Pomeranicis, cum non *Micrælius* tantum in *Pomerania* suâ *veteri*, sed *Cramerus* etiam in *Histor. Pomer. Ecclesf.* & dudum ante istos *Thomas Kantzovius* in Chronic. Pomer. MSc. commemorent: *Anno Chr. 1128. Ottonem Episcopum illum Bambergensem, qui primus Pomeranorum Apostolus vulgo audit, misisse ex Pomerania Güstroviam Evangelii præcones, qui docerent & baptisarent hic Venedos atque Obetritas, magis tum, quam olim, ad rem christianam pronos.* Micræl. im alt. Pommerl. Lib. II. §. 68. p. 236. seqq. Cramer. Chron. Pomer. Ecclesf. Lib. I. c. 32. & Thomas Kantzovius Chron. Pomer. MSc. fol. m. 102. Quæ illustris Güstroviæ memoria & argumento probabili & certo indicio potest esse, jam ante seculi XII. auspicium Gustroviam habuisse incrementa sua, tantoque altius arcessenda ejus esse primordia, quanto majus temporis intervallum ad urbium incrementa requiri solet. Et hoc ipsum facit ad confirmandâ sen- A. C. 1128.

sententiam mihi semel conceptam, quâ adducor, ut credam, ante dubia Venedorum tempora Güstroviam sumsisse exordium una cum reliquis cis-balthianis civitatibus, quas opportunitate vicini maris & mercaturæ studio allecti Venedi in his oris condiderunt, confer. H. Conring. de Urbibus paulo superius cit. Interim Güstrovia lateat obscurâ & perpetuâ nocte sepulta, quamdiu gentilibus, quas hodie detestatur, superstitionibus fuit dedita; Sufficit prima Güstroviæ, Christianis sacris initiatæ, memoria.

§. X.

Christianismi Güstrov. initia.

Conversio autem Güstroviensium ad Christianismum nec uno facta est tempore, nec ejusdem fuit conditionis: sed vel *vetustior*, vel *recentior*; eademque vel *communis*, vel *propria*. Ad vetustiorem communemque Conversionem refero eam, quæ omnibus in universum Slavis, has inprimis provincias Meclenburgicas olim incolentibus, aut primùm, aut successive, ita obtigit, ut Güstrovienses ejus non potuerint non fuisse participes, licet proprii ac domestici ipsorum sive Apostoli sive præcones non adducantur ab annalium conditoribus. Quæ tandem posteriori ævo ita etiam Güstroviensibus illuxit Evangelii prædicatio, ut &, à quibus olim personis acce-

acceperint Christianæ religionis primitias, & quæ ipsorum docendi fuerit ratio, certo constet, hanc *recentiorem* voco, eamque *propriam Güstroviensium Conversionem*.

§. XI.

Ad *vetustiorem* illam & *communem*, quæ omnibus generatim Slavis hujus terræ obtigit, conversionem quod attinet, Hamburgenses sane Episcopi, à Carolo M. ejusque Successoribus Seculo IX. constituti, si non ipsi, per suos tamen missionarios insignem navarunt operam in convertendis Wendis. Quorum diœcesis metropolitana cùm non Transalbinis s. Holsatiæ tantùm limitibus circumscriberetur, sed termini ejus ad omnes etiam Wendos, Wagiros, Obetritos, Kissinos, Circipanos, & usque ad Pœnum fl. urbemque Dimmin extenderentur. Helmold. Chronic. Slav. Lib. I. c. 6. quis dubitaret, ad Güstrovienses tum quoque sonum prædicati Evangelii penetrasse? quamvis illi una cum reliquis Slavis adhuc manserint duriores & ad credendum tardiores. Huc spectant, quæ Helmold. l. c. n. 1. 2. tradit: *Inter omnes Borealium nationum populos sola Slavorum provincia remansit cæteris durior atque ad credendum tardior. Neque caret admiratione, quod dignissimi Præsules &*

Vetustior conversio Güstroviensium, quam cum cæteris Slavis habuerunt communem, per Secul. 9. 10. 11.

Evangelii Prædicatores ANSCARIUS, REIMBERTUS, UNNI, quorum in conversione gentium ingens claruit studium, Slavorum curam tantopere dissimulaverint, ut nec per se nec per ministros aliquem in eis fructum fecisse legantur. Efficit hoc, ut æstimo, populi hujus incredibilis duritia, non autem Prædicatorum torpor, quibus animus circa vocationem gentium adeo fuit affectus, ut nec opibus nec vitæ pepercerint. Post Carolingorum Cæsarum fata Seculo nimirum X. *Henricus Auceps* Imperator & tributarios fecisse Slavos omnes & ipsos, avito idolorum cultu abrogato, ad Baptismum suscipiendum, aliaque Christianorum sacra amplectenda coegisse legitur, circa ann. Chr. 931. conf. Bangert. Not. ad Helmold. c. 12. L. I. p. 38. Verum enim vero tres *Ottones* Impp. præ cæteris maximo flagrasse studio ac fervore Slavorum salutis promovendæ idem eodem loco Helmoldus commemorat. Tum Hamburgensium fuit Præsul *Adeldagus* illustri genere natus, cujus opera & studio factum est, ut, volente idem Cæsare Ottone M. peculiaris Episcopus præficeretur Wendis, *Marco* nimirum, qui omnem Slavorum terram inde ab Holsatiâ ad Demminum usque Christi regno subjiciendam curavit. *Aldenburgum*

am-

amplum illis temporibus & propter loci naturam & portus commoditatem opulentum in Wagria emporium erat. Invitaverat loci commoditas Slavorum Principes, ut ibi aulæ suæ sedem figerent. Nam Wagirorum, Obetritarum, Kyssinorum & longe remotiorum populorum Reges in illa olim habitarunt. In hac igitur regia & primaria Wendorum civitate Anno Chr. 952. Episcopatus institutus est, *Marcone*, quem diximus, primo novellæ Ecclesiæ Præsule constituto, cui omnis amplissima Obetritarum terra ad Pœnum usque fluvium subjiciebatur. conf. Danckwerth. Topograph. Holsat. de Episcopatu Aldenburg. & Lubec. Marconi defuncto *Eduardus* f. *Egwardus* successit Episcopus alter Aldenburg. qui multos pariter Slavorum ad Dominum convertisse traditur. Eduardo autem surrogatur *Wago* tertius Slavorum in Aldenburgensi sede Episcopus, qui maxima inter Wendos prosperitate usus tanta valuit gratiâ & auctoritate apud Regem Obetritarum *Bilungum* a Visurgi ad Vistulam usque imperantem, ut conversus ille & Baptismum ab Episcopo Wagone acciperet, & ejusdem sororem, priore conjuge defunctâ, matrimonio sibi jungeret. Tum in *Meclenburgo* Bilungi Regis aulâ, urbe floren-

tissima, templum & monasterium Christo Domino exstructum consecratumque fuit. Hæc talia feliciter ita contigerunt tribus *Ottonibus* imperantibus, labente Seculo X. de quibus Christianæ rei apud Slavos auspiciis illud ex M. Adamo Bremensi constat: *Tum Slavorum pagos præter tres omnes ad fidem Christianam fuisse conversos.* Erat autem omnis hæc Slavorum terra tum temporis in duodeviginti pagos dispertita. Cujusmodi fuerint isti XIIX. pagi (quos Comitatus s. districtus, s. provincias, s. præfecturas interpretari licet) patet ex Helmold. Lib. I. c. 2. & Bangert. Not. pag. 11. confer. Meibomii Tractat. de Pagis. *Güstrovienses* quoque, ad *Varnavorum Herulorumque* pagum referendos, eodem conversionis lumine tum fuisse illustratos, penitus mihi persuasum est. Wagonem vero in Episcopatu Aldenburgensi excepit *Ezico* vir non minus venerabilis Slavorumque conversionis studiosissimus, cujus tempore anno circiter 1013. Principe *Mistevojo* Bilungi Nepote, omnes Slavi fidem christianam proh dolor! abjecere, postquam annos LXX. in ea perstitissent. Ex quo tempore mira rerum in his terris vicissitudo fuit, Slavis modo meliora probantibus, modo deteriora sequentibus. Sed *Godescalci* Obetri-

tritorum Regis, Mistevoji nepotis Bilungique trinepotis studium propagandæ religionis Christianæ admodum memorabile fuit ab anno 1058. ædibus sacris iterum per Slaviam excitatis, præter Aldenburgensem novo etiam Episcopatu in *Mecbleburgensi* urbe constituto, cui Joannes quidam, e Scotia oriundus, primus Præsul datus fuit, qui multa Slavorum millia sacro fonte lavit. Helmold. Lib. I. c. 19. 20. Sed neque hæc diuturna Christianorum in his terris fuerunt Halcyonia, cum Anno Chr. 1066. *Godescalco* christianissimo Principe trucidato omnes religiosi viri ac verbi cœlestis præcones per universam Slaviam ad dirissima raperentur supplicia, & sacra christiana ubique funditus tollerentur, Wendis cunctis ad paganismum relabentibus. Quæ misera & deplorata rerum facies per LXXX, iisque amplius, annos duravit, usque ad *Henrici* Obetritorum Regis, qui filius fuit *Godescalci*, auspicia vertente Seculo XII, qui christianissimus Princeps *Henricus* nihil prius atque antiquius habuit, quam, ut rebelles Slavos omnes & imperio suo subjiceret, & sub mansuetissimum Christi jugum pariter redigeret. Tum Reverendissimi Patres *Otto* Bambergensis & *Vicelinus* Hamelensis à DEO excitati vehementiore cura ac

ſtudio ſalutem Slavorum quæſiverunt: quorum ille apud *Pomeranos*, hic apud *Obetritos* Apoſtolum egit, eo feliciore quidem ſucceſſu, quo majore jam religione ipſi Reges ac Principes Chriſtiani rem paganam hic penitus deſtructum iverunt. Ex quo tempore Slavi noſtrates ita perſtiterunt in fide, ut tota Gens non amplius relapſa legatur ad paganismum. Pertinent huc inprimis *Alberti Cranzii* verba, quæ ex Vandal. Lib. V. c. 44. adducemus: *Terna*, inquit, *legitur abnegatio Vandalorum (potius Wendorum) quos primo Carolus M. convertit, deinde Otto I. tertio Godeſcalcus.* Item ex *Metropoli* Lib. VI. c. 27. *Suſceperunt Obetriti fidem chriſtianam ſub Carolo M. cui erant fœderati, ſed ſtatim abjecerunt, illo jam rebus humanis exemto; Coegit Otto M. fidem ſemel projectam recipere, cùm illos ſubjiceret Epiſcopo Aldenburgenſi: ſervarunt aliquandiu, ſed tributis gravati abjecerunt in morte Ottonis III. Supervenit contemtus Principis Obetritarum Miſtiwoji & vindicta de nece paterna Godeſcalci juvenis, & redierunt ad ſordes priſtinas, ſed idem Godeſcalcus jam caneſcens errorem ſuum correxit, & impensâ ſingulari operâ omnem pene terram Chriſto reduxit, in quâ ſanctiſſimâ operâ periit, Chriſto animam ſuam offerens.*

Et

Et secuta est tertia omnium gravissima Vandalorum (Venedorum) ad paganismum reversio, durans per annos 84. hoc est ab A. C. 1066. ad ann. 1149. quo anno Hardevicus Archiepiscopus Bremensis simulque Hamburgensis ordinavit in terra Obetritorum in Magnopoli (Mecklenburg) Episcopum Everhardum, cum antea habuisset solum Joannem martyrio coronatum ante annos LXXIV. Verum est tamen, quod post hæc tempora plurimus fuit labor cum Gente, priusquam ad fidem firmaretur. Sed ex hoc die tota Gens nunquam est relapsa. Hactenus Cranzius. Ejusmodi fuit vetustior illa communisque omnium Slavorum in his terris ad christianismum conversio & conversionis vicissitudo, quæ primos nobis & christianæ rei propagatores & paganismi destructores, nunquam non venerandos, ob oculos ponit: quæque ita comparata est, ut *Güstrovienses* Wendi s. Slavi non potuerint ejusdem fuisse exsortes.

§. XII.

Nunc dicendum quoque est de *recentiore Güstroviensium conversione*, eaque *propriâ*, quæ domesticos nobis Evangelii divini præcones ipsorumque nomina ac docendi rationem exponet. Namque ternam ejusmodi abnegationem subsecuta tan-

Recentior Güstroviensium Conversio eaq; propria, ab Ann. Christ. 1128.

clientibus, civibusq; suis in *Usedomiam*, civitatem ad audiendum de eliminando magis magisque paganismo, propagandaque fide Christiana sententiam. Convenerunt frequentes Pomerani ad Synodum in ipso Pentecostes Festo, præsentibus & Principe *Wartislao* & *Ottone* Episcopo. Agebatur tum strenue de Salutis negotio, ipso Principe ad populum verba faciente, civibusque suis & popularibus religionis Christianæ præstantiam ac necessitatem vehementer commendante. Nec suo deerat officio *Otto* Episcopus, qui attentioribus nunc omnium animis auribusque insinuare cœpit doctrinam cœlestem, atque coram omni populo disserere multum de præcipuis fidei christianæ momentis, & confutare etiam contradicentes paganorum flamines. Quo factum est, ut complures Venedorum applauderent, & baptismum susciperent, cæteris tanto magis in fide suâ confirmatis. Fama continuo hæc, quâ solet velocitate, in omnem terram longe lateque ebuccinavit, ut non magis intra, quam extra Pomeraniæ fines tam luculento conversionis exemplo permoti homines amore Christi caperentur. Quod ubi intellexit *Otto*, haud cunctandum ratus, ilico destinavit ad alias quoque civitates e suis, quos secum habuit, verbi administris nonnullos, qui do-

docendo baptisandoque pergerent amplificare regnum Christi. Hi relictâ Pomeraniâ pervenerunt in adultâ æstate ad vicinas Stargardiam atque Güstroviam civitatulas, quarum incolæ videbantur ad rem Christianam præ cæteris proniores. *Güstrovienses* vero tum temporis, ut & Tollensi, Kissini, Heruli, Varnavi, cæterique Wendi parebant Obetritis, quorum potentissimo religiosissimoque Regi *Henrico* A. 1127. defuncto successerat filius natu major *Sventepolchus* cum fratre *Canuto* de Principatu contendens: is discordiâ sopitâ Canutoque peremto solus rerum potitus terras quidem Obetritarum, urbesque inprimis Herulam s. Werlam & Kissinum, renitentes sibi, ad officium reduxit, at non diu superstes fuit, a Dasone quodam prædivite Holsato obtruncatus A. C. 1130. christianis sacris alioquin addictus & *Vicelino* Obetritarum Apostolo bene cupiens. Has inter turbas civilesque Obetritarum tempestates, ab Occidente subortas, propitio tamen Numine illuxit ab Oriente clarissimi Evangelii jubar, præter cæteras Güstroviensium quoque nebulas ac nubes discutiens.

§. XIV.

Güstroviensium primi Evangelistæ s. Apostoli.

Ad Personas convertentes præterea quod attinet, non ipse quidem *Otto* Episco-

piscopus, Pomeranorum Apostolus, huc venit, quod ætate jam esset gravior; nihilo tamen minus rem egit sedulo per suos administros, qui bini fuerunt Sacerdotes admodum venerabiles, ad prædicandum baptisandumque ordinati, *Siffridus* (Siegfried/ Sivert) alter, alter *Albinus* nuncupati, Slavicæ linguæ non minus, quam ipse *Otto*, gnari: viri multum doctrinâ, pietate ac facundiâ valentes. Natione autem non fuisse Slavos s. Wendos ipsos, sed in Germaniâ natos & procul dubio in Bambergensi monasterio bonis artibus instructos, indeque ab Episcopo suo præ cæteris delectos ac in societatem itineris & operis Apostolici tandem adscitos, tum ipsorum nomina arguunt, tum Annales Pomeran. haud obscurè demonstrant. Pars comitum istorum ac Sacerdotum, quos Otto secum in Pomeraniam duxit, repræsentantur à *Cramero* in Chron. Pomer. Eccles. Lib. I. c. 15. & 29. vocanturque his nominibus: *Adelbertus* (tandem Episcopus Camminensis factus), *Weritherus*, *Siffridus*, *Docius*, *Dietericus*, *Theodoricus*, *Stanislaus*, *Udalricus*, *Albinus*, *Johannes Presbyter*, *Juvanus* aliique. In his *Siffridus* Archidiaconus atque Notarius Ottonis, *Albinus* vero tantum Presbyter fuisse perhibentur. Quibus in fines Obetritarum ablegatis res adeo cessit

cessit feliciter *Güstroviæ*, ut eorum maximus redderetur numerus, quos audito verbi cœlestis præconio avitæ superstitionis caperet tædium, e vestigio ad Christum conversos & SS. baptismi lavacro regeneratos. Rebus sic bene constitutis, num alteruter istiusmodi virorum Apostolicorum Güstroviæ manserit, an vero uterque discesserint, explicare non ausim, tacentibus hic annalium, quos vidi, conditoribus. Et licet ipsos pariter perrexisse ad alios quoque alibi convertendos, uti aliunde ad nos pervenerant, credam, ita tamen eosdem, ut Ecclesiam hic plantatam absque ullo Presbytero s. Pastore reliquerint, abiisse, nullo mihi pacto persuadere possum.

§. XV.

Protestan-gelistarum Güstroviensium methodus docendi ac baptisandi.

Restant de *methodo* ipsorum convertendi pauca etiam edisserenda. Eos autem, quos dixi, primos Evangelistas nostros eandem, quâ *Otto* Magister ipsorum usus fuit, adhibuisse *methodum*, ecquis dubitaret? Scilicet convertendi initium ubique fecerunt & Episcopus & socii ipsius à prædicatione tam pœnitentiæ, ut exsecrandæ superstitionis horrendæque idololatriæ & aliorum, inde proficiscentium, criminum Paganos arguerent atque convincerent, quàm Evangelii, ut ipsis rectam ad verum DEUM in CHRISTO perveniendi vi-

am monstrarent, consiliumque DEI de salute hominum æterna revelarent. Tum eis. qui accrediderunt, prima doctrinæ christianæ rudimenta more catechetico & vivâ voce tradiderunt, explicarunt, inculcarunt per septem dies continuos. Postea tridui jejunio precibusque assiduis sese dare ac puris mundisque vestibus indui jubebantur Catechumeni, recitatâ identidem catechesi suâ. Tandem initiationis dies ipsis dicta fuit, qua convenirent omnes ad SS. Baptismi lavacrum. Id quod triplex distinctis à se invicem separatisque parabatur locis: pro *maribus* unum; alterum pro *fœmellis*; pro *pueris* tertium. Ingentia autem labra cupæque ampliores ita humi defodiebantur, ut ad circumstantium personarum genua prominerent pertingerentque. Ejusmodi labra aquis referta undique peristromatibus ac velamentis fuére cincta & contecta, ne quid oculos cujusquam offenderet: in quæ catechumeni desiluére nudi, maxima corporis parte aquas subeunte, adstantibus etiam initiationis arbitris s. testibus lustricis, qui & baptisandorum vestimenta servabant & pro iisdem, ut moris est christiani, spondebant. Adhæc summotis paulisper & remissis tapetibus Sacerdotes prodierunt ac spectante omni populo, singulorum, qui in lavacro sta-

ſtabant, capita ter ſubmerſerunt aquis & ita in *Nomine Dei Patris*, *Filii*, *& Spiritus Sancti* eos baptiſarunt. Quibus rite peractis Sacerdotes ſubduxerunt ſeſe, & neophyti obducto rurſus velamine proſiluére, quos fidejuſſores ſuſceperunt veſtibusque novis induerunt. Res ita quidem agebatur cum omnibus utriusque ſexûs, ſed non omni tempore: nam in hyeme frigori cedentes in hypocauſtis ejusmodi lavacra parabantur adhibitâ aquâ calidâ, cæteris vero retentis ceremoniis (α). Ita ſubmergendo initiatos fuiſſe majores noſtros, inde patet: qui ſubmergendi ritus paulatim, deficientibus Baptismi candidatis adultioribus, videtur ceſſaſſe in Eccleſiis noſtris. Infantes enim (immo adultos etiam) ſequiore ad noſtram usque ætatem memoriâ alio, quam perfuſionis ſ. aſperſionis ritu baptiſatos fuiſſe, haud recordari licet, quantumvis non deſint, qui, in nonnullis locis immerſionem non ita dudum ceſſaſſe, obſervarint (β). Sed plura de Ottonis methodo qui noſſe cupit, ipſos adeat Pomeranicos Scriptores ſupra allegatos, inprimis D. *Cramer*. Chron. Pomer. Eccleſ. Lib. I. c. 18. 36 45. ubi & data opera S. Ottonis doctrina examinatur & ad amuſſim veritatis Propheticæ atque Apoſtolicæ exigitur. (α)

(β)

(a) Thomas Kantzovius in Chronic. Pomer. MSc. rem omnem ita exponit: Es hielte S. Otto diese manir mit ihnen/ welche er auch in allen andern Städten gehalten hat/ (die ich hier einmahl will anzeigen/ damit ichs nicht in allen Oertern dürffe reppen)/ und stellets so mit ihnen an. Er und seine Mit-Priester unterrichteten das Volck bey sieben Tagen im Catechismo, und liessen sie die Wörte im kleinen Catechismo auswendig lernen/ darnach legte er ihnen auff drey Tage zu fasten. Wenn sie so gefastet/ musten sie darnach beten/ und reine Kleider anthun/ und ihren Catechismum aufsagen. Die dann den Catechismum konten/ die hieß er auff eine bestimmte Zeit wieder zur Tauffe kommen. Mitler Zeit befahl er ihnen fleißig zu beten/ daß ihnen unser HErre GOtt ihre Sünde und Abgötterey wolte vergeben. Darnach ließ er drey Tauffen zurichten/ eine iede besonders/ eine für die Männer/ die andere für die Frauen und Jungfrauen/ die dritte für die Knaben. Dieselben Tauffen umhiengen sie mit Teppichen/ damit man nichts ungebührliches sehen könte. Zudem hieng noch ein sonderliches Zindel für den Priestern/ wann er vielleicht das Teppich muste bey Seiten schieben/ daß er den vorm Angesicht behielte. Also tauffte S. Otto selbst die jungen Gesellen und Knaben/ und die andern Priester taufften die Männer und Weiber. Und die sich tauffen liessen/ zogen sich hinter den Teppichen aus/ und sprungen in die Tauffe/ ehe sie iemand sahe. Und wenn der Priester hörete/

te/ daß sie im Wasser waren / zog er das Teppich beyseite / und tunckete dann einen jeglichen dreymal unter/ und tauffete sie also im Nahmen des Vaters/ und des Sohnes/ und des Heiligen Geistes. Es durffte aber nur ein jeglicher einen Paten haben / und must ein brennend Licht in der Hand tragen/ biß daß er wieder aus der Tauffe kam/ so ließ er ihn wieder anziehen/ und gab ihm das Licht wieder/ biß so lange die andern auch getauffet waren. Und alsobald confirmirte S. Otto diejenigen / so ihren Catechismum wohl wusten; die ihn aber noch nicht wusten/ befahl er / daß sie ihn noch lernen musten. Solch eine Weise hat S. Otto im Sommer / und wenns nicht kalt war / gehalten; im Winter aber / und wenns kalt war / hat er grosse Püttiche in warmen Stuben zugerichtet/ und mit Weyrauch und Räuch-Kertzlein einen guten Geruch darinn machen lassen/ und also getaufft &c. &c. &c. confer. Cramer. Chron. Pom. Eccles. Lib. I. c. 18.

(β) Carolus Maria du Veil in Actis Sanctorum Apostolorum Londini editis, A. 1684. apud Lipsienses in Act. Erudit. ad ann. 1686. pag. 505. profert *Lutheri & Bugenhagii testimonia, qui, se Hamburgi infantes fasciis adhuc involuti caput leviter aqua aspergi, non sine magno stupore vidisse profitetur.* Unde, Lutheri ætate adhuc immersionem in his oris apud Lutheranos æque ac Pontificios in usu fuisse, pronum erit suspicari. Et Erasmum Roterodamum alicubi citatum memini, qui mergendi morem adhuc suo tempore in Anglia valuisse

 teste-

testetur: Vid. D. Jo. Fechtii Theolog. Rostoch. Collegium MSc. Theol. anno 1697. Rostochii habit.

§. XVI.

Ubi hac majorum nostrorum ad fidem christianam conversio fuit Slavorum Wendorumque Eversio exitialis ratione Politia.

Tantum de *memoria rerum & personarum Güstroviensium ultima*, præsertim de Christianismi in hac urbe primitiis, stante adhuc Slavorum s. Wendorum Republicâ. Secutæ sunt non multo post tempestates, huic genti plane internecionem atque excidium inferentes, remque eorum publicam funditus evertentes. Ex quo enim *Bernhardus* venerabilis ille Clarevallensis Abbas in Comitiis Francofurti A. 1147. habitis Imperatorem Conradum III. Principesque Imperii ad bellum, quod dixere sacrum, adhortatus erat, incredibili dictu est, quanta populorum caterva se ad expeditionem illam devoverint, nec est recognitum vicinis temporibus, nec auditum à diebus Seculi, tantum convenisse exercitum. Helmold. Lib. I. c. 59. seqq. Visum autem fuit expeditionis sacræ auctoribus, partem exercitûs unam destinari in Orientem, alteram in Hispaniam, tertiam vero ad Slavos, Obetritos scilicet & confines, sacra christiana adhuc maxime aversantes & cursum Evangelii prædicati impedientes. Cœpit igitur hoc bellum anno post memoratam conversionem Güstroviensium fere

fere vigesimo, post CHR. vero natum 1148. *Pribislao* & *Nicoloto* Obetritarum sceptra tenentibus, gentemque suam ob vicinorum Saxonum superbiam & intolerabilem tributorum exactionem ad Paganismum reducentibus. Qui Principes *Henrico Leoni* Gvelpho sacræ illius expeditionis Duci multum facessiverunt negotii, neque minus ipsorum successores *Pribislaus II.* & *Wertislaus*, uterque Nicoloti filius, donec hi tandem omnibus suis terris exuti & victi manus victori dare cogerentur, amissâ & regiâ dignitate & avitæ possessionis magnâ parte. Ita vicennali fere eoque longe funestissimo bello Obetriti adeo fuerunt obtriti deletique, ut incolis ac civibus pene vacaret terra. Hinc factum est, ut & Henricus Leo præstantioribus virtute militibus suis Venedorum terram divideret possidendam, & frequentes factis quasi agminibus confluerent e Saxonia Westphaliaque Teutonici homines ad colendam terram spatiosam, fertilem frumento, commodam pascuorum ubertate, abundantem pisce & carne & omnibus bonis: qui agros, vicos, urbes familiis suis oppleverunt, & ritibus non solum Christianis, sed & moribus legibusq; Teutonicis omnia ubique imbuerunt, abrogato penitus Slavismo, nec ullo Venedorum amplius ad ullam sive publici mu-

muneris dignitatem, sive societatis civilis partem admisso. Helmold. Chron. Slav. Lib. I. c. 87. & Lib. II: c. 5. 14. Granz. Vandal. Lib. VII: c. 10. (a). Nullibi autem locorum tam funditus excisam fuisse hanc gentem deprehendes, quam in his terris: alibi enim, e. g. in Marchia vicina, Pomerania ulteriori, Lusatia, Misnia, gentis pariter exstirpatæ remanserunt quædam reliquiæ in pagis ac villis, linguam Slavicam s. Wendicam habitumque ac mores in hunc usque diem retinentes; at apud nos in Provinciis Megalopurgicis, quod mireris, inde nulla excisæ gentis vestigia supersunt amplius. Ab hac igitur temporis & rerum vicissitudine, qua sic omnis Terra Megapolitana Teutonum facta Saxonumque colonia, & novam plane reipublicæ faciem, formam ac politiam induit, derivanda videtur Nobilitatis nostræ equestriumque familiarum & Feudorum origo in plerisque, nec altius repetere licebit gentilitios avorum proavorumque natales. Qui enim ad Henricum I. Imp. cognomento Aucupem Seculo X. Wendis bellum inferentem Teutonumque colonias nonnullas huc illuc substituentem, Stemmata sua referunt, in Dynastiâ Stargardiensi & Marchiæ Brandeb. collimitio, quod quærunt, fortassis invenient. Ex Wen-

dorum


dorum quidem prosapia multi videntur superesse, e. g. Gammii, Prizeburii, Bassevicii, Molzanii, &c. sed altius tamen Seculo XII. ire non licebit in repetenda ipsorum memoria, ob gentis olim illiteratæ barbariem. Habet hanc prærogativam sola Sereniss. Principum Mecleb. Domus, ut vel omnium in Europa Principum altissime ascendere in Stemmate genealogico, & haud interrupto sanguinis regii nexu ultra sesqui mille annos Majores suos recordari possit. Cæterum funesto illo & fatali gentis Venedorum excidio cum pleræque civitates hujus terræ funditus quoque excisæ sunt, tum vero *Güstrovia* tota in cineres redacta fuit, ex quibus resuscitata ineunte Seculo XIJI novum cepit incrementum. Quod pluribus argumentis declarabitur *Periodo*, quæ jam sequitur, *secundâ*.

(a) Comprobantur hæc Scriptorum Pomeranicorum testimoniis, quæ tanto majorem hic fidem faciunt, quando propius origines Pomeranicæ ad origines Meclenburgicas accedunt, eoque magis res rebus utrobique conveniunt. Juvat inspexisse Vetus *Chronicon Pomer. MSc.* Anonymi, e Bibliotheca Excellentiss. *D. Georgii Detbardingii*, Archiatri nostri Aulici celeberrimi, benevole nobiscum communicatum, e quo verba huc spectantia subjungemus: Und weil / wie gedacht/diese Lande von Leuten sehr geblösset/ haben die Fürsten aus andern Städten Teutsche und Sachsen verschrieben / ihnen

nicht allein vergünnet Städte in ihren Landen zu bauen / sondern auch denselben andre grosse Freyheiten und Privilegia nach Sächsischer und Teutscher Art gegeben. Darauff denn nicht allein viele Bürger aus den Sächsischen Städten / sonderlich aus dem Lande und Stadt Braunschweig und Lüneburg / sondern auch viele vom Adel / deren Geschlechte noch auff den heutigen Tag in diesen Landen in grossem Ansehen und gutem Vermögen seyn / sich herein begeben / welchen die Pommerschen Fürsten Hertzog Bugislaff und Casimir hin und wieder wüste Feldmarcken eingethan und verleihet / und haben dieselben aus ihrer Land-Art Sächsische Bauern in Pommern gebracht / Höfe und Dörffer gebauet / den verwüsteten Acker wiederum begatet / und also das Land ihrer besten Gelegenheit nach gebrauchet. Wie denn auch die Fürsten den andern Sachsen / welche mit den Wenden in den Städten keine Gemeinschafft haben wollen / besondere Oerter angewiesen / Städte zu erbauen. &c. &c. &c.



Re-



Rerum Güstroviensium

PERIODUS SECUNDA,

De

Güstroviæ Incrementis.

§. I.

EXeunte ita Seculo XII. excidium Slavorum Wendorumque in his terris novæ politiæ & reipubl. auspicia dedit atque incrementa: quippe quæ coloniis Teutonicis, Saxonumque inprimis statutis, juribus, consuetudine ac civitate instauratæ, auctæ, amplificatæ sunt. Cœperat enim mitescere *Pribislaus* II. Obetritarum Rex postremus sub mansueto summi Regis & Domini *Christi* jugo, qui, quod extremis temporibus fidam coleret amicitiam cum Duce *Henrico Leone*, Regemque Cimbrorum *Waldemarum*, res multas tum temporis molientem, affinitatis jure obstrictum sibi teneret, nec præterea quicquam intermitteret, quod ad juvandam rem Christianam &

Excidium Slavorum nova incrementa dedit plerisq; Civitatibus nostris, ineunte Seculo XIII.

& Civilem pertinere videbatur, sibi civibusque suis bene consuluit, quoad Reipublicæ superstes fuit; desiit autem superesse Anno Chr. 1178. cùm Lüneburgi in Ludo s. certamine Equestri (auffm Thurnier) hoplomachi neglectus incuria excussus equo, fracta cervice exspiraret, cujus ossa demum Anno 1215. Monachorum Doberanensium pietate ac cura Doberanum translata, ibidemque in regio mausolæo tumulata fuisse perhibentur. Hinc error chronologicus, Pribislaum Regem anno 1215. demum exspirasse, vulgo natus est, corrigendus in ipso etiam Nicolao Mareschallo Annal. Herul. lib. 2. c. 4. A morte hujus *Pribislai* filius ejusdem *Henricus Burevinus* I. regio abstinuit titulo, & Principem Wendorum Fürsten der Wenden se salutari maluit, omnemque ditionem paternam cum *Nicoloto* Patrueli ita partitus est Anno 1179. ut hic *Meckeburgensium*, ille *Rostochiensium DOMINUS* fieret (*). Sed sorte ista non contenti, cum paulo post intestinis diffidiis & excursionibus militaribus in propria sævirent viscera, regionesque alter alterius misere depopularentur, inciderunt in eam calamitatem, ut ambo capti in vincula conjicerentur à vicinis consanguineisque Principibus Ann. 1182. Hac

capti-

captivitate A. 1183. soluti ad arbitrium Canuti Danorum Regis restituti quidem sunt pristinæ libertati, sed ita, ut disponente eodem Rege mutatis invicem ditionibus *Henricus Burevinus* in tractu Obetritarum, tanquam *Meclebургensium* DOMINUS, *Nicolotus* vero in tractu Kissinorum ut *Rostochiensium* DOMINUS, acquiescere juberentur, Lindenberg. Chron. Rostoch. lib. 2. c. 2. pag. 43. Helmold. lib. III. c. 4. Cranz. Vandal. lib. VI. c. 24. Nec dum cessarunt motus per has terras, *Ottone* Marchione Brandenburgico & *Adolpho* Comite Holsatiæ Ann. 1195. seqq. *Canutum* Danorum Regem bello lacessentibus atque omnem hic Slaviam, quod Danis foederata esset, cædibus, rapinis, incendiis vastantibus. Et cum periclitantem Regem adjutum proficiscerentur Principes nostri contra Comitem Holsatiæ Ann. 1200. collatis utrinque armis primus omnium *Nicolotus* Princeps Kissinorum in pugna Daslensi cadit, vir prudens & bonus, & qui meliore dignus fuisset fortuna, cujus interitu tota hæc Slavia in moerorem est versa. Cranz. Vandal. lib. VI. c. 38. Helmold. lib. VI. c. 13. Superstes igitur ab hac clade fuit *Henricus Burevinus* I. Obetritarum Princeps, solus nunc rerum potitus, Seculo ineunte XIII. qui Dynastiam Rostochiensem cum sua Mecle-

bur-

burgensi conjunxit sedemque Rostochii fixit, ut omnis ita consolidaretur Megapolensium terra, à filiis ejus & nepotibus adultiore seculo rursus dispertienda. Princeps autem hic laudatissimus ut primum vicinis iisque funestis bellis sese expedire potuit, nihil prius, nihil antiquius duxit, quam ut excursionibus, rapinis, incendiis devastatas terras ac urbes suas recrearet, recreatas instauraret, instauratas novis juribus ac privilegiis donaret. Hinc origo antiquissimorum in terris nostris diplomatum ac privilegiorum: quicquid urbes, quicquid civitates, quicquid monasteria nostra vel habuerunt olim, vel adhuc habent Privilegiorum antiquorum, ex his initiis & ab hoc tempore derivandum est: antiquiora enim in omni Meckleburgensium provincia non extabunt iis, quæ sub Seculi XIII. initium atque progressum vel Henricus Burevinus I. vel ejus, qui successere, filii ac nepotes impertierunt. *Monasterium Dobernense* credo vetustissima habuisse diplomata ab A. 1192. cùm ex ruinis suis bellicis instauraretur novisque accessionibus ab Henrico Burevino dotaretur. Tum Monasterium illud de *campo Solis*, vulgo Sonnen-campf nuncupatum, quod Ann. 1211. fundatum, postea vero 1219. in alium locum, unde *novum Monasterium*, Neuen Closter / dictum,

Origo antiquissimorum diplomatum ac Privilegiorum Meckleburg.

ctum, prope Wismariam translatum est & privilegiis auctum. Anno 1218. *Rostochium, Parchimum, Gadebusium* civitates sua accepisse jura & privilegia municipalia Latomus & Chemnitius testantur, qui & anno 1220 *urbes maritimas* peculiaria adeptas fuisse ab eodem Principe munificentissimo privilegia; item anno 1222. *Monasterium Dobbertinense* eidem Principi suam debere originis atque fundationis concessionem perhibent.

(*) Cum enim Pribislaus II. per iniquam belli fortunam de loco regio dimotus propositas à victore conditiones acciperet temporique cederet, seu necessitati pareret, quod semper Sapientis est habitum, abstinuerunt tandem & ipse & posteri ejus vel suâ sponte ab invidendo Regum titulo, satis habentes, si vel *Principes* generatim vel *Domini* speciatim, ratione hujus illiusve territorii, appellarentur. Hinc *Henricus Burevinus* I. Pribislai ultimi Regis filius *Princeps Obetritorum atque VVendorum* (Cranz. lib. VI. c.35. VII. 8.) audit: quemadmodum & frater ejus *Canutus*, nec non ejusdem patruelis *Nicolotus*. Postea vero quam terrarum divisio ab iis facta fuit, alii *Meckleburgensium*, alii *VVerliorum* s. *VVendorum*, alii *Rostochiensium*, alii *Richenbergensium* s. *Parchimensium* DOMINI cœperunt appellari, nec secus in diplomatibus subscripserunt, salvo interim communi PRINCIPIS prærogativa ac titulo promiscue ipsis tributo, donec tandem *Mecle-*

bur-

burgensium DOMINI anno 1348 Ducta-lem Imperii Romano-Germanici Principum dignitatem obtinerent, & in memoriam avitæ Majestatis regiæ coronâ insignirentur à Carolo IV. Imp. in stemmate gentilitio. Est præterea, quod de *Domini* titulo observes: illum priscis temporibus non nisi Imperatoribus Romanis fuisse tributum, atque usurpatum. Schurzfl. Disput. Civil. Histor. LXIII. pag. 8 Francisc. Juret. in Not. ad Symmach. Epist. 8. lib. I. Sequiori autem ætate accidit, ut primogeniti Regum ac Principum regentium filii, Regimini jam destinati appellarentur *Domini* (quos contracta voce *Domnos* vocarunt Scriptores Ecclesiastici, quippe qui *Domini* vocem soli DEO debere voluere) postgeniti vero sive minores natu, qui dominatu nondum potiti essent *domnicelli* s. *domicelli* germanice Junckhern qs. junge Herren designarentur e.g. Junckher Otto von Dännemarck: Junckher Berend und Ehr Hinrich von der Gnade Gades, Hertog tho Brunswick. &c. &c. &c. Et in diplomate quodam Güstroviensi de A. 1316. Nos Johannes DEI gratia *Dominus* de VVerle, & Henningus eadem gratia *Domicellus* de eodem &c. &c. &c. Tandem ad Nobiles Patritiosque transiit ejusmodi titulus, qui nostro nunc ævo *Domnicelli* plerumque audiunt. Confer. Springsfeld. JCt. de Apanag. c. III.

Domini titulus.

§. II.

§. II.

Inter hæc urbium auſpicia & incrementa crevit etiam *Güſtrovia*, ab *Henrico Burevino* II. ſ. juniore inſtaurata & amplificata. Factâ enim arbitrio Patris Principis Henrici Burevini ſenioris diviſione terrarum inter utrumq; filium ann. 1219. *Henrico Burevino* II. Tractus Herulanus (Das Land zu Wenden oder Werle) alteri *Nicoloto* territorium Mecleburgenſe (Das Land zu Mecklenburg) obtigit; ſedem vero ille Güſtroviæ, hic Gadebuſii conſtituit: unde alter Herulorum atque Roſtochienſiũ (zu Werle oder Roſtock)/ alter Mecleburgenſium (zu Mecklenburg) Domini titulum uſurpavit. Chemnit. Epitom. Geneal. Duc. Mecleb. MSc. confer. Cranz. Vandal. lib. VII. c. 16. Marſchal. Annal. Herul. lib. II. c. ult. Petrus autem Lindenbergius in Chron. Roſtoch. lib. 2. c. 3. dum Cranzium erroris arguit, ipſe in errorem incidit, Henricum Burevinum I. ab Henrico Burevino II. Patrem à filio non diſtinguens. Cæterum *Henricus Burevinus* II. præclariſſime de *Güſtroviâ* meritus, tribus hanc urbem modis inſtauravit: quod *aula Principali*, quod *jure civitatis* Teutonicæ, quod *baſilicâ ſacrâ* ornaret. Primus ille auguſtam ſedem atque domum in hac urbe delegiſſe perhibetur à Che-

Güſtrovia inſignis inſtauratio atque amplificatio ab anno Chr. 1219 & 1220. Sub Henrico Burev. II. Principe.

D mnitio

mnitio d.l. Excisâ enim non ita dudum funditusque eversâ *Herulâ* s. *Werlâ* urbe, inclytâ & perantiquâ Herulorum coloniâ, quæ vix mille pass. intervallo Güstroviâ distabat, quippe inferius ad Varni cum Nebula permisti ripam prope pagum Wicke silvas inter & paludes sita, adeoque natura olim loci munitissima, ex cujus ruderibus non procul inde Cygnea (Schwaan) civitatula videtur enata (vid. Chron. Rostoch. Lindenberg. l. 1. c. 8. pag. 34.) excisâ illâ, inquam, urbe veteri, Principibus nostris à Tractu Herulano inque obsoleti oppidi memoriam vulgo die Herren von Werle aliquantisper salutatis, haud alia urbs videbatur aulæ suæ commodior, quàm *Güstrovia*, quam Henricus *Burevinus* junior, præcipue vero filius ejus *Nicolotus* nepotesque arce muniverunt, & hanc magis magisque ita exornaverunt, ut vel hodie multorum Germaniæ Principum palatiis elegantiâ, amplitudine & splendore anteferri queat, ideoque à Ducibus Mecleburgensibus in maximis semper deliciis habita sit præ cæteris hujus Provinciæ urbibus & Principum
Anno 1220. nostrorum aulis. Anno 1220. Juribus Sue-
(*) rinensibus (*) donavit urbem suam Güstroviensem Princeps idem munificentissimus, quæ jura in magno olim pretio fuisse, & in aliis etiam civitatibus tam Meclen-
bur-

[M]urgicis, quam Pomeranicis valuisse, exploratum dedit Jo. Micrælius in Pomer. antiqu. lib. VI. pag. 551. seqq. Nam quia Sverinensis Comitatus prima fuit colonia Teutonum Saxonumque in his oris, ab *Henrico Leone* Gvelpho velut obex Slavis contumacibus oppositus, & Comites ejus *Guncelini* atque *Henrici* multum dignitate & autoritate eminuerunt, fieri aliter non potuit, quin hinc quævis jura civilia legumque ac consuetudinum Teutonicarum statuta peterentur à vicinis, Slavismum paulatim missum facientibus.

Jura Sverinensia.

(*) *Fuerunt autem hæc jura Sverinensia Güstroviensibus tum temporis donata:*

I. Pro capite caput, pro manu manus.

II. Si vulneratur aliquis ad profunditatem unguis vel articuli, damnificatur reus in sexaginta solidos, qui cedent in partem regiæ potestatis, & satisfaciet patienti in 24 solidis.

III. De plaga nigra Potestas habebit 24 solidos, & patiens 12 solidos.

IV. Pro alapa patiens habebit 4 solidos, potestas totidem.

V. Qui domus pacem violaverit, capitali sententiæ subjacebit.

VI. Si fœmina impudica viro probo fuerit conviciata, in præsentia duorum virorum proborum potest ei licite dare bonam alapam.

VII. Si quis duplicem habuerit mensuram, magnam videlicet & parvam; magnâ percipiat,

cipiat, & parvâ eroget; damnabitur sententia capitali.

VIII. Molendinarius recipiet mensuram de singulis modiis institutam, quæ Matta vulgariter vocatur.

IX. Qui civitatis statuta infregerit, dabit tres marcas civitati.

X. Omnis solidus pacis consulibus deputatur.

XI. Si decreverint consules super officia civitatis, magistrum civium ordinare, & excedant Subditi; duæ partes satisfactionis consulibus, tertia potestati, nil magistro civium deputetur.

XII. Civium est eligere Magistrum talem.

XIII. Præda campestris pertinet Potestati, non Magistro.

XIV. Nullus dabit hæreditatem suam sine consensu suorum heredum.

XV. Si moritur quis, hæredum præsentia carens, assument illam consules, causa rei servandæ, usque ad anni terminum, quo revoluto, si nullus heres venerit, ad manum transeat potestatis: debet autem hæreditas septima manu reddi.

XVI. Si moritur quis, & hæredes suos reliquerit, mater volens nubere alteri, prius dividet hereditatem.

XVII. Si moritur quis hæredum, illius transibit hæreditas ad fratrem: omnibus defunctis, transibit ad matrem.

XIIX. Si mater securitatem præstare poterit, manebit tutrix, similiter & Pater.

XIX. Si moritur aliqua, reliquens hæredem, & pater separans ipsum à se, ducat uxorem, & generet ex ea parvulos, mortuo patre sepa-

paratus hæres redibit ad hæreditatem patris.

XX. Si quis extra civitatem manens, querimoniam de cive fecerit, potest se civis cum quolibet defendere; alienus vero cum cive aliquo defendet se.

XXI. Quicunque autem homo propriæ fuerit conditionis, si intra civitatem venerit, ab impetitione cujuslibet servitutis liber erit.

XXII. Præterea, quicquid Consules Civitatis ad communem usum ordinaverint, ratum civitas observabit.

XXIII. Si quis vero debitor coram judicio monitus solvere nequeat, domum suam debitori deponet; sed creditor illam tribus vicibus intra sex septimanas coram judicio præsentabit, quam si debitor tum non redemerit in suos usus convertet creditor ipsam domum.

XXIV. Subnexa sunt & alia de agris, silvis lignis, pascuis &c &c. privilegia, aucta cum tempore atque amplificata à Principibus successoribus, quorum sufficiens datur copia in Archivo oppidano Güstroviensi.

§. III.

Maximum vero decus, quo urbem denuo instauratam ornavit Princeps laudatissimus, est *Basilica* nostra seu *Templum cathedrale* cum collegio Canonicorum, fundatum anno 1226. in memoriam S. Cæciliæ, cujus festa die XXII. Novembr. aliquando tota hæc Venedorum Provincia

Templi Cathedralis nostri prima fundatio, Ann. 1226.

fidem christianam amplexa perhibet[redacted] voluitque idem Princeps fundator hanc ædem Privilegiis & opibus *Hildesiensi* comparari. Cranz. Vandal. lib. VII. c. 16. Marschall. Annal. Herul. lib. 2. c. 42. Sunt, qui computarunt, quadraginta aureorum millia (40000 Gülden) e sua suppellectili Principem vel impendisse vel destinasse in ejusmodi ædificationem. Simon. Pauli, in Orat. de Johanne Theologo Mecleb. Principe. Diplomatis istius Pragmatici s. inauguralis copia adhuc quædam servatur Güstroviæ in Archivo templi Cathedr. ex Originali latin. in german. linguam translata (α). Ut vero rata esset isthæc constitutio, confirmarunt eandem literis suis & Pontifex Romanus Gregorius IX. anno Pontificatus sui quarto, V. id. Maj. & *Brunwardus* Episcopus Sverinensis Ann. 1229. V. cal. Maj. Quare autem deinceps Camminensis Pomeranorum Episcopus, non item Suerinensis, aut alius in clerum Güstroviensem jus dixerit & potestatem Ecclesiasticam exercuerit; cur nihil quicquam potuerit esse ratum, quod Ministerium Ecclesiasticum hic vel ordinaret, vel decerneret tempore Papatus, nisi intercederet Episcopi Camminensis ad confirmandum auctoritas? id inde factum esse reor, quod Güstrovienses primam ad Christianis-

primum conversionem deberent Pomeraniæ, cum à Pomer. Apostolo *Ottone* huc mitterentur olim Presbyteri, qui, ut superius dictum, Güstroviæ Ecclesiam plantarunt & prima rei christianæ fundamenta jecerunt. Dum vero id agit *Henricus Burevinus* II. dum in exstruenda mole sacrâ immoratur, in eadem proh dolor! etiam immoritur, abreptus intempestivo fato, eodem ann. 1226. die V. Jun. tumulatus demum ann. 1228. in templo à se exstrui quidem cœpto, sed posteritati ad consummandum relicto. Conspicitur adhuc monumentum ejus sepulcrale in choro, beatiss. Ducis nostri *Udalrici* ætate renovatum: cujus quidem tumuli epigramma tempus mortis ad ann. 1228. refert, quod tamen de sepultura intelligendum esse colligo e Maresch. Annal. capite & libro paulo ante cit. quippe qui *tumulatum* eundem esse ait ann. 1228. Nec in eodem titulus Principis fundatoris prisco ævo satis convenit, quippe sequiore & recentiore stilo scriptus (β). (β)
Superfuerunt præmaturo Principis fato Pater & Patruus *Henricus Burevinus* I. atque *Nicolotus senior*, (Cranz. Vandal. lib. VII. c. 16. Chemnit. Epit. Geneal. Duc. Mecl. MSc.) uterque anno 1228. ille Rostochii, hic Gadebusii rebus humanis exemti, superstitibus ex *Sophia* conjuge Regis Sueco-

rum filia quatuor Principibus Henrici Burevini II. filiis *Johanne*, *Nicoloto*, *Henrico Burevino* III. & *Pribislao*, terras avitas æquali sorte ita inter se partientibus, ut *Johannes* Meclèburgense, *Nicolotus* Güstroviense, *Henricus Burevinus* III. Rostochiense, *Pribislaus* Richenbergense s. Parchimense territorium sibi & posteritati vindicarent. Inter hæc revolutus & circumactus est annus à prima Güstroviensium Conversione *centesimus*.

NB. in Anno 1228. terminatur primum seculum ab inchoato Christianismo Güstroviensium.

(α) Copia vel potius fragmentum literarum fundationis Templi Cathedralis seu Cæciliani: Henrici Herren zu Rostock / fundation der Thumkirchen zu Güstrow / darin er anzeiget / daß er aus Rathe seines Herren Brunwardi Bischoffs zu Schwerin, und mit consens seines Vatern Burvini Herren zu Mecklenburg / und seiner Söhne Johannis, Nicolai, Henrici & Pribislavi, von seinem eigenen Erbe die Thum-Kirche zu Güstrow in die Ehre GOttes / der heil. Jungfrauen Marien / S. Johannis Evangelistæ, und der heil. Jungfrauen Ceciliæ geordnet habe. Die Personen aber / so GOtte und seinen Heiligen in derselben Kirchen dienen / sollen sich vornehmlich nach Ordnung der Hildesheimischen Kirchen verhalten &c. &c. datum in Güstrow. III. Non. Jun. Anno Domini 1226. regnante Friderico glorioso Romanorum Imperatore.

(β) In-

(β) Inscriptio tumbæ istius sepulcralis hæc est: HINRICUS. BURVINUS. HERTZOG. ZV. MECKELBURG &c. STIEFTER. DIESES. THVEMS. GESTORBEN. ANNO. Dom. 1228. Cum qua conferenda est altera inscriptio in Pariete proximo: *Genealogia der Hertzogen zu Mecklenburg anfahend von Henrico Burvino Burvini Sohn, Stiffter dieses Thums, Anno Dom. 1226. Welcher 3. Gemahl gehabt, nemlich Sophiam des Königs zu Schweden Tochter, damit obgesatzte 4. Söhne und noch zwo Töchter gezeuget. Die andere Gemahl eine Hertzogin zu Sachsen &c. Die dritte eine Gräfin zu Ruppin &c. Welchem Henrico Burvino, so hie anno 1228. begraben, zu Gedächtnis, dem Fürstlichen Stamme zu Ehren, Hertzog* ULRICH *zu Meckenburg. &c. &c. &c. diese Arbeit verfertigen lassen, Anno Chr. 1574.*

§. IV.

Eodem seculari Anno 1228. id impetrarunt à PRINCIPIBUS superstitibus *Güstrovienses*, ut præstito Homagio solenniori *Suerinensia jura* & pristina civitatis Privilegia ipsis iterato diplomate confirmarentur, novisque Accessionibus augerentur: quò præcipue spectat, quod *Silvam primariam* (den Priemer-Wald und Kleest) civitati in quemcunque usum perpetuo jure dederint atque concesserint & suo & successorum nomine (*a*). Accidit

Alia Güstrowia incrementa ab Anno 1228. sub Principe Nicoloto I.

(*a*)

 non

Güstrovia novella Neu-Güstrow.

vetere hîc *novella* cœpit urbs extrui, sed multo contractior illâ, coarctata mœnibus, ædificiis etiam more Teutonico adornata, augustâ item arce & sacris palatiis ad majorem splendorem aucta. Non omnino tamen omnis inde exspiravit antiquatæ urbis memoria, sed ex cineribus suis quodammodo resuscitata, ad qualemcunque rediit civilitatem. & cum novella urbe postea in unum quasi corpus coaluit, verum ita ut maneret aliquandiu distincta utriusque Magistratus ratio: tempus enim fuisse recordor, quo antiquæ pariter ac novæ civitatis Senatus-Consultum atque auctoritas

(β) hîc valuerit (β) Receperunt & templum peculiare Palæopolitani illi, ab hoc Neapolitano cœtu diversum, quod tandem Rusti-

(γ) cos Sucovienses nactum est curatores, (γ). & Seculo XVI. jam adulto cum Papatu concidit, ut nec ulla quidem vestigia aut rudera ejus supersint amplius, præterquam campus quidam editior prope laterariam suburbanam, undique suggestus & ab arvis ambientibus nonnihil sejunctus, qui duabus vel tribus filiis jamjam emorientibus, etiamnum conspicuus, vetus cœmiterium (der alte Kirch-Hof) vulgo appellari solet. Cæteræ palæopolitanorum reliquiæ suburbanis in prædiis, hortis, horreis & Georgiano ptochodocheo (olim Sacel-

lo)

lo) extra molarem po[illegible] ita nunc sepultæ jacent, ut hodie vix ullâ antiquitatis mentione censeantur dignæ. Ad Principem vero *Nicolaum* adeo in nostram urbem propensum ac munificum ut revertamur, extat adhuc aliud, quo Güstrovienses suos sibi obligavit, beneficii genus, quod Anno 1270. ipsis *tertiam jurisdictionis partem in excessibus corrigendis mulctisque irrogandis* concessit ad civitatis usus (δ) quam & aliis urbibus tum temporis concessam perhibent *Latomus* atque *Chemnitius*. Tantis suis meritis consenuit optimus hic Princeps & anno 1277. d. 7. Maji tandem naturæ debitum reddidit, annos 83. natus, & 51. rerum potitus, relictis ex Conjuge *Juditha* Anhaldina *Henrico, Johanne, Bernhardo, Henningo* filiis, *Hedwige* autem & *Juditha* filiabus, tumulatusque in Mausolæo Doberanensi, ubi vivus sibi suisque amplissimâ dote jus humandi emeruerat. Marschall. Annal. Herul. lib. III. c. I. *A. 1270.* (δ)

(α) In cujus rei fidem Testes prisco more adduntur, & quidem hi: Godehardus, Theodoricus, Bertoldus, & Johannes Canonici de Güstrow. Campodapifer Jordanus, Hinrich Grube, Bartholdus Conradus, Castellani de Güstrow, Bruno Hinrich Advocatus. Johann Coquus. Arnoldus Sagittarius. Friderich Daniel institor. Cives in Güstrow.

strow. Act[illegible]t hæc Güstrow anno gratiæ 1228. VIII. Calend. Novembr. Indictione XIV. Friderico Romanorum Imperatore. Datum per manum Conradi Scriptoris.

(β) Argumento esse poterit hoc literarum exemplar in Archivo Templi cathedr. Des Raths der alten und neuen Stadt Güstrow Brief/ darinn sie Ludero de campis Canonico zu Güstrow und Bützow und seinen Erben 4. Marck jährlicher Hebung vom Rathhause verschrieben. &c. Datum & actum Güstrow, anno 1350. Dominica Palmarum.

(γ) Apparet hoc e fragmento quodam literarum hujus argumenti: Anno 1485. Johann Bresemann Pfarrherr der Kirchen der alten Stadt Güstrow und Capellen zu Suckow &c. item Anno 1459. Hinrich Lünenborg Bürger zu Güstrow verkaufft wiederkäufflich Claus Myrendorp und Claus Ratken Baursleuten zu Suckow und Vorstehern der Kirchen der alten Stadt Güstrow Schwerinschen Stiffts 8. fl. Stral/ jährlicher Pacht aus seinem Hause &c.

(δ) Privilegium illud ita sese habet: *Nicolaus* DEI gratia Dominus de VVerle omnibus præsens scriptum visuris salutem in perpetuum. Noverint universi, qui præsentem paginam susceperint perlegendam: quod Nos de bona voluntate nostra & dilectissimorum filiorum nostrorum *Hinrich* & *Johannis* dominorum de VVerle consensu, Burgensibus nostris, Güstrowe civitatem nostram inhabitantibus pro munere contu-

contulimus speciali: ut si quid viris vel emendæ de rixis seu contentionibus mulierum emerserit, quæ debent ferre lapides pro excessu, partem tertiam ipsi ad usus civitatis recipiant. Nobis duabus partibus reservatis. Si vero aliquis excedens castigari virgis & verberari debet in loco, qui Stüpe vulgariter dicitur, pro emenda suâ nos recipiamus duas partes, partem autem tertiam Burgenses. Item si aliquis in adulterio fuerit deprehensus, qui trahi per plateas secundum consuetudinem civitatis deberet, si compositionem iniret, nobis de emendâ duas partes, tertiam partem civitati. Item si quis feras civitatis confringeret violenter, seu alio quocunque modo contra voluntatem Burgensium referaret, pro emanda quicquid daret, nobis duæ cedent partes, pars vero tertia civitati. Item si quis plantas civitatis seu munitionem pedum furtim detulerit vel auferret, & deprehensus daret aliquid pro emenda, tertia pars civitati dabitur, particulæ duæ nobis. Item si aliquis vigiles civitatis nocturno tempore vel diurno, & nuncios ejusdem percusserit, vel male tractaverit, sive vulneraverit, Nobis duæ partes cedent, pars tertia civitati, si aliquid datum fuerit pro emenda. Insuper dedimus Burgensibus civitatis nostræ, quod assumtis duobus civibus suis, si Advocatum habere non poterint, æquali justitiâ quemlibet possunt suis pro debitis occupare. Si etiam Advocatus seu alius, quicunque esset, aliquem haberet incusare, in foro in loco tribunali ipsum accusabit & in nullo alio loco, nisi
in

in prædicto ad hoc debite deputato. Ut ergo hujusmodi factum stabile permaneat atque firmum, sigilli nostri testimonio roboramus. Testes sunt milites, Johannes Barold, Johannes Kaboldi; Magorius de Cene, Henricus de Flotow famuli; Hinricus Advocatus in Güstrow; VVesclag Marschalcus Lüdike Holsatus, Olricus de Bardefeld. Consules Civitatis Godefridus VVessalus, Matthias de foro equorum, Didericus de Stolpe, Arnoldus de Demene, Johannes de Molne, Didericus de Norwegia, Gorwinus Svicker, Gibertus ante portam. Acta sunt hæc Anno Domini 1270. datum Güstrow de manu Gothofredi Præpositi Güstroviensis, V. Nonas Martii.

§. V.

Incrementi Güstrov. causa & ratio.

Ergo *Henrici junioris Burvini* atque *Nicoloti* I. Principum auspiciis primum accepisse incrementum Güstroviam, compertum habemus. Quæ ætas civitatium feracissima videtur fuisse in his terris: anno enim 1228. Plavia (Plau). 1235. Siwan (Svan). 1248. Goldeberga & Neo-Brandenburgum, prima cepisse incrementa perhibentur à Latomo atque Chemnitio. Ad *Güstroviam* vero quod attinet, quæstio hic suboritur: quæ ratio fuerit istius incrementi, quo studio, quibusve artibus tum creverit commodum civile? Præter mechanicas artes agriculturæ studium maxime

xime tractasse atque pecuariam fecisse videntur primi coloni: quæ antiquissima semper & honestissima habita fuit victûs parandi ratio. Ea enim agrorum fertilitas solique bonitas hic locorum reperitur, quæ facile invitare atque allicere colonorum frequentiam, quæ variis commerciis ac nundinationibus viam sternere potuit. Patebitque paulo inferius, id imprimis operam dedisse majores nostros, ut spatiosa circa urbem jugera latosque fundos conquirerent. Præterea maximum hujus civitatis emolumentum jam à primis inde temporibus consistere videbatur in re cerevisiariâ. Nec enim vel heri aut nudius tertius natum est nomen zythi generosioris, qui Güstroviæ coquitur & vulgo *Knisenack* appellatur. Nimirum uti e Slavorum lingua illud conflatum esse nemo dubitat, ita & eidem genti jam olim in usu fuisse istius potus coquendi rationem, admodum credibile est. Accedentibus vero colonis Teutonicis tanto magis crevit hîc quæstus cerevisiarius, quanto hos præ aliis gentibus studiosiores fuisse constat hujusmodi potûs conficiendi. Namque Germanis *C. Tacitus* jam sua ætate fuisse *potui humorem ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corruptum*, memorat German. XXIII. 1. Cæterum rara quædam

Potus Güstroviensium Knisenack.

(†) niter apud mensam *Bernaviensis* hæc *Cnisenaco* præoptatur.

(*) Trita isthæc vetustate Traditio in ore solet esse multorum, meque, ut veri aliquid subesse crederem, induxit Anonymi Schediasma quoddam in Knisenaci laudem olim conscriptum, cui titulus: *Encomium* und Lobspruch des weitberühmten / gesunden / kräfftigen und wohlschmeckenden Gersten-Saffts Kniesenack genandt / so im Mecklenburgischen Lande zu Güstrow seinen Ursprung bekommen und anietzo daselbst gebrauet wird &c. &c. &c. Gedruckt im 1624. Jahr / da Kniesenacks Lob-Spruch zuerst beschrieben war: Loco Præfationis *ad lectorem ingenuum* præmittitur *de strenuo Güstroviensi* (*Knisenach dicto*) *potu hordeaceo* hoc Hexastichon:

Huic tibi, quod Cereris donum laudatur, amice,
Rex dedit antiquus nomina *Kneso* sua,
Vera sit huic nec non, quæ fortis energia, vere
Comperies, quando fortia pocla bibes.
Nulla Physi frustra sit res. Quod restat, habeto:
Vendibili vino non opus est Hederâ.

Id ipsum vero Schediasma opera Prænobilissimi Do. *D. Georgii Detbardingii*, Archiatri nostri excellentissimi, denuo revisum, auctum & emendatum nuperrime in lucem prodiit. Nec ingratum fore putavi, si, quæ in *Simonis Pauli* D. Med. & Prælati Arhusiensis *Botanico quadripartito* 1667. edito, de

de Knisenaco extant, huc transscriberem, namque ibidem Class. III. voc. *Lupulus* p. 579. seqq. hæc leguntur: Notum est, quasdam in Germania superiori civitates summis simultatibus contendere cum aliis confinibus in inferiori Germania de bonitate & præstantia Cerevisiarum; Hinc πολυθρύλλητον illud;

Lipsia dat *Rastrum*, *Kuckuc* VVitteberga celebris;
Halla *Puff*, at *Keutum* VVestphala terra coquit.
Hi tenues stomachum poterunt torquere liquores,
Mentis at exilium gignere vix poterunt.
Güstroviæ coquitur *Knesnacus* fortior ille,
Ferri instar turbat ferrea vel capita,

Quod filius meus carissimus *Jacobus Henricus Pauli*, cum Lipsiæ studiorum causa commoraretur, admodum adolescens ingenii sui lusu, ita emendavit & auxit;

Quale Zythum, nemo est, qui nescit, *Zerbsta* ministrat.
Lipsia dat *Rastrum*, dat *VVitteberga Kuckuc*;
Puff habet *Halla* suum; sed tellus VVestphala *Keutbum*;
Bardiacaque venit clarus ab urbe liquor.
Oppugnare potens *Cnesenacum* colla genuque
Güstrobia coquitur, qui cupit, usque bibat.
Unum præ reliquis, quod vitæ Balsamus audit,
Et sapit & sanum est, *Rostochiense* Zythum.

Sed ne quis erret, moneo, sciens volensque Cerevisiam Güstroviensem, hodie quæ Kniesenack dicitur, potius per secundam vocalium E, quam per tertiam seu I pronunciare aut scribere volui, ut priscæ Etymologiæ rationem, ceu jam dudum exsoletam (cujus haud quispiam meorum popularium, imo vix quis Güstroviensium sufficientem dare poterit) veluti renovarem aut recentarem, sed quam Sereniss. ac Celsiss. Principis ac Domini DN. *Adolphi Friderici* Ducis Megapolitani gloriosissimæ memoriæ secretario, Patruo meo p. m. *Simoni Pauli* in Historiis ac antiquitatibus versatissimo fœneror. Scribendum enim is aut pronunciandum hoc vocabulum per lit. E. ideo rebatur: quia *Knese* in prisca Vandalica lingua *Dominum aut Magistrum* aliquem denotare asseverabat & id adhuc hodie a Moschis in eadem significatione usurpari; *Nack* vero Vandalica lingua significasse olim cerevisiam. Unde compositum hoc vocabulum *Knesenack* cerevisiam denotat dominorum seu magnatum, germanicè dixeris Herren-Bier. Tantum honorem habitum iverunt Majores nostri prioribus ævis huic Güstroviensi cerevisiæ. Quæ ubi calefacta, cardamomi ac cinnamomi tantillo ac vitello ovi unius condita saccharoq; edulcata, ut senibus tussiculosis ac emaciatis; ita Rostochiensis lienosis valde commendabilis est; illa ob polentæ non tostæ abundantiam, hæc vero lupuli. *Hactenus D. Simon Pauli.* Addatur M. Joh. Colerus in Oeconom. rural. & domest. L. 1. c. 4. pag. m. 15.

NB. Suprà jam monuimus, adhuc in Bohemia, qua Slavonicam L. retinuit, voc. Knise *Principem s. ducem aliquem denotare. Vid. Period. 1. §. 5.*

§. VI.

§. VI.

Mortuo *Nicoloto s. Nicolao* I. Herulorum domino ad filios hæreditatis jure devoluta est summa rerum omnisque Tractus Herulanus (Land zu Werle) seu Principatus Venedorum, qui abs cæteris hujus terræ provinciis sejunctus mansit, quoad floruit illustris hæc familia in Nicoloti dicti nepotibus ac posteris. Inter hæc vergente seculo Christiano XIII. variis motibus intestinis concussa est terra nostra: illic propter absentiam *Henrici* Principis Megapolitani in Palestinam Ann. 1270. religionis causa peregrinati, à Saracenis vero capti inque carcerem Ægyptiacum abducti; Isthic de *Nicolai* Principis Rostochiensis pueritia; Hic ob Principis Herulorum *Henrici senioris* à filiis interemti vindictam. De illâ atque istâ non est nunc agendi locus; egerunt prolixe *Mareschallus*, *Cranzius*, *Lindenbergius* in Libris sæpe allegatis: De hoc autem omnino tacere non possumus, quòd Güstroviensium res tum ageretur & periclitaretur maxime. Scilicet pacata hîc fuerunt omnia, quoad *Henricus* Senior, cognomento *Modestus*, cum fratre suo *Johanne Pacifico* conjunctim rebus præfuissent; Hoc autem 1289. ad superos translato & *Henrico* fratre superstite ad secundas vel tertias nuptias transgresso, hu-

Güstrovia fata sub Nicoloti I. filiis ac nepotibus.

jus filii ante diem patrios in annos inquirere cœperunt. Audiamus Mareschallum, qui rem omnem ita memoriæ prodidit: At *Henricus* & *Nicolotus imperium Genitoris longævum perosi, dum regnandi avidi capere eum & vinculis mancipare contendunt, ad Salas Rugiorum* (beym Rugianischen Dorff Sale in Pommern ubi venatione delectabatur) *imprudentia eum interimunt anno 1291. VIII. id. Octobr. Nicolotus, qui à germano in genitoris necem erat solicitatus, doloris impatientiâ haud ita multo interjecto tempore vitam cum morte commutavit. At Henricus parricidii auctor, cum diluere crimen tentat, diem dicit arbitris Visilao ac Booslavo Sidinorum Principibus, qui causam accusante Nicoloto patruo, Rostochii ad diem præstitutam audierant, cum nihil præstaret dignum, majorem in se adstantis multitudinis acerbitatem conflavit & ægre judicium evasit. Sed & perfidus ille Ducem Rugiorum, qui revocandi ejus (Henrici rei) gratia ablegatus venerat, Jure gentium violato cepit & vinctum abduxit. Sic dum expiare apud gentiles ac familiam contribulem cæteram illustrissimam facinus impientissimum non potest, rebus exutus omnibus exilioque perpetuo damnatus meritas parricidii pœnas dedit.* Marschall. Annal. lib. 3. c. 3. Audia-

Parricidium Güstroviensibus totique Principatui portentosum. A. 1291.

diamus & *Cruntzium* paulo aliter rem enarrantem: *Caeso Henrico Patre, Nicolaus Johannis primogenitus parricidarum fratruelis junctissimus erat vindex de nece patrui: occupat, quas potuit, munitiones parricidarum Zwaen, Lawe, Warne, cum se illi, ut poterant, tuerentur. Moritur in eo luctamine Nicolaus alter ex parricidis. Henricus Magnopolensis* (*Leo*) *se rebus immiscuit, ut terris velut ad prædam expositis partem detraheret. Interveniunt Tractatus Rostockii* (Ann. 1292. tempore Quadragesimali) *opem Wislai Rugiani Principis & Bugislavi Stetinensis Ducis. Cum parricida reposceret sua, Nicolaus indignum diceret successione parricidam, in hac contentione disceditur. Nicolaus clausâ licet civitate elabitur & noctu pervenit in Güstrow. Sequitur eum Rugianus Princeps pacis sequester, & velut hostis à Nicolao capitur* (dum die Mercurii post Domin. Invocavit ipso guadragesimali tempore rebus sacris interest in templo): *Congrediuntur inde Nicolaus & Henricus magnopolensis, luctati de ditione istius parricidæ. Prælio victor Nicolaus multos capit, inde circumfert exercitum Nicolaus: Henricus magnopolensis jam visus est tueri partes Henrici parricidæ, non tamen oblitus suorum commodorum vicissim & ille multa*

jus filii ante diem patrios in annos inquirere cœperunt. Audiamus Mareſchallum, qui rem omnem ita memoriæ prodidit: *At Henricus & Nicolotus imperium Genitoris longævum perosi, dum regnandi avidi capere eum & vinculis mancipare contendunt, ad Salas Rugiorum* (beym Rugianischen Dorff Sale in Pommern ubi venatione delectabatur) *imprudentia eum interimunt anno 1291. VIII. id. Octobr. Nicolotus, qui à germano in genitoris necem erat solicitatus, doloris impatientiâ haud ita multo interjecto tempore vitam cum morte commutavit. At Henricus parricidii auctor, cum diluere crimen tentat, diem dicit arbitris Visilao ac Booſclavo Sidinorum Principibus, qui causam accuſante Nicoloto patruo, Roſtochii ad diem præſtitutam audierant, cum nihil præſtaret dignum, majorem in ſe adſtantis multitudinis acerbitatem conſlavit & ægre judicium evaſit. Sed & perfidus ille Ducem Rugiorum, qui revocandi ejus (Henrici rei) gratia ablegatus venerat, Jure gentium violato cepit & vinctum abduxit. Sic dum expiare apud gentiles ac familiam contribulem cæteram illuſtriſſimam facinus impientiſſimum non poteſt, rebus exutus omnibus exilioque perpetuo damnatus meritas parricidii pœnas dedit.* Marſchall. Annal. lib. 3. c. 3. Audia-

Parricidium Güſtrovienſibus totique Principatui portentoſum. A. 1291.

diamus & *Cruntzium* paulo aliter rem enarrantem: *Caeso Henrico Patre, Nicolaus Johannis primogenitus parricidarum fratruelis junctissimus erat vindex de nece patrui: occupat, quas potuit, munitiones parricidarum Zwaen, Lawe, Warne, cum se illi, ut poterant, tuerentur. Moritur in eo luctamine Nicolaus alter ex parricidis. Henricus Magnopolensis (Leo) se rebus immiscuit, ut terris velut ad praedam expositis partem detraheret. Interveniunt Tractatus Rostockii* (Ann. 1292. tempore Quadragesimali) *opem Wislai Rugiani Principis & Bugislavi Stetinensis Ducis. Cum parricida reposceret sua, Nicolaus indignum diceret successione parricidam, in hac contentione disceditur. Nicolaus clausa licet civitate elabitur & noctu pervenit in Güstrow. Sequitur eum Rugianus Princeps pacis sequester, & velut hostis à Nicolao capitur* (dum die Mercurii post Domin. Invocavit ipso guadragesimali tempore rebus sacris interest in templo): *Congrediuntur inde Nicolaus & Henricus magnopolensis, luctati de ditione istius parricidae. Praelio victor Nicolaus multos capit, inde circumfert exercitum Nicolaus: Henricus magnopolensis jam visus est tueri partes Henrici parricidae, non tamen oblitus suorum commodorum vicissim & ille multa*

occupat. Oppidum Warne duo Henrici (parricida & magnopolensis) occuparunt, fraude clerici, qui clavium formas, cerâ expressas, tradidit illis. Nicolaus per lacum ex Rabele & Plawe & rursus à terra oppugnans recepit oppidum, captis qui inerant præsidio. Pacantur deinde res inter Nicolaum & Henricum magnopolensem. Parricida autem, ut dignum fuit, in tenuitate sine prole permansit. Ita Cranzius Wandal. lib. VII. c. 43. a Mareschallo multum dissentiens. Cum vero uterque sequatur fidem Annalium Mecleburgensium, utri ego viro potissimum credam, non omnino sum certus. Prævalet quidem auctoritas Mareschalli, utpote rerum domesticarum optime gnari; at sunt tamen rationes, quibus adducor, ut existimem, nec Cranzio omnem derogandam esse fidem, inprimis cum & Annales Pomeranici, qui semper bonæ fidei sunt, Cranzio adstipulentur. Quoquo autem modo sese res habet, Güstrovienses non spectatores solum fuerunt illius tragædiæ, sed calamitatis maxime etiam participes. Nam cum Princeps *Henricus* vadimonium sisteret Rostochii anno 1292. tempore quadragesimali, idem vero *Nicoloto* patrueli accusante ac crimen intentante causâ caderet foroque decederet, tum Güstroviam fugâ delatus, & sui

suâ insequendi & urbi nocendi locum dedit: accidit enim, ut persequente adversarium adversario civium nostrorum villæ ac horrea suburbana incendio vastarentur ab illis, quorum animi vel recepto alterutro Principe vel præclusis etiam portis offensi essent (α). Wislaus autem Princeps Rugianorum pacis sequester, non ab *Henrica* parricidâ, cui favebat, sed ab *Nicoloto* cædis vindice Güstroviæ captus, dum rebus sacris interest, Parchimumq; abductus esse in custodiam, recte dicitur à Granzio Pomeranicisque scriptoribus (β).

Güstroviensium villæ ac horrea suburbana incenduntur.

A. 1292.

(α)

(β)

(α) D. Nicolaus Mareschallus in Chronico suo Rythm. lib. II. c. 3. ejusmodi Güstroviensium calamitatem versibus Seculo isti convenientibus ita expressit:

Die von Rostock - - - -
Zum besten die Thore befohlen zu schliessen.
Das gundt Herrn Hinrich sehr verdriessen/
Zu Fusse er machte sich dovanne/
Zum Möllenthor uß/ ihm wenig Manne
Folgeten/ so kam er durch die Awe
Heimlich zu der Stadt Güstrawe.
Er ward gesucht eben gnug.
Die von Güstrow kamen in Unfug/
Ihr Höffe und Scheuren wurden verbrandt.
Der Fürste von Rügen folget zur Handt
Im besten nach gegen Güstraw zu/
Herr Hinrich sprach: kommet ihr nu?

Und

Und fieng ihn in der Kirchen/gebunden
Ihn schicket nach Parchen zur Stunden
&c.

(β) Thomas Kantzovius, cujus auctoritas apud me plurimum valet, rei eventum ita memoriæ prodidit in Chron. Pomeran. MSc. Folgends Jahres 1291. haben Heinrich und Niclaß Fürsten von der Werle ihren Vater Fürst Heinrichen den Alten erwürget / aus der Ursache / daß er Kinder gnug hätte/ und das Land gering war/und dennoch nach der ersten Frauen Tode noch des Hertzogen von Lüneburg Tochter wieder zu der Ehe nahm. Derohalben ihme die Kinder Gefahr waren/ und der Vater zu Witzlaff dem Fürsten zu Rügen flohe/ da er denn eine Zeitlang war. So verspeheten Heinrich und Niclaß einmahl/ daß er bey der Sahle nicht weit von Bahrte auff der Jagt war/ und sind darum über ihn gekommen/ haben ihn fahen wollen. Aber weil er sich heftig gewehret / und sich nicht hat wollen gefangen geben / ist er unversehlich erwürget worden. So haben die beyden Fürsten Hinrich und Niclauß einen Vetter gehabt/so auch Niclauß geheissen/ derselbe nahm ihr Land ein / als derjenen/ die ihren eigenen Vater ermordet hatten/ und nicht werth wären/ ihres Vaters Erbe zu besitzen. So hat/ wie zuvor gesagt/ Fürst Heinrich erst zur Ehe gehabt VVizlaos Tochter Helenam/itzund hatte er nach Anastasiam Bugschlaffs Tochter. Darum weil der Mord ohne Fürsatz geschehen / stunden dieselben bey ihme und nahmen vor ihnen ein das Land

Snop-

Gnoyen / und nahmen viele gefangen. Darnach wurd er auff gegriffen / und berahmeten einen Tag zu Rostock / und handelten in der Sachen gütlich. Aber Nicolauß wolte sich nichtes begeben / und ritt im Zorn davon. So folgete ihm Fürst Witzlaff guter Meynunge gen Güstrow / und wolte ihn bereden. Und wie er ihn nicht konte so bald zu Worten kriegen / gieng er in die Kirche / denn es war Mittwochens nach Invocavit in der Fasten. So bald das Nicolauß erfuhr / schickete er in die Kirche / und ließ Fürst Witzlaffen gefangen nehmen / und wolte ihn auch nicht loß geben. Darum zog Hertzog Boigschlaff und Fürst Heinrich in Nicolaus Land / und thaten viel Schadens / und führten viel Viehes und Leute gefangen weg / und drangen Fürst Nicolasen so weit / daß er Fürst Witzlaffen loß geben must. Und Fürst Heinrich kam nicht wieder zum Lande / sondern muste / wie ein Vater-Mörder in grosser Armuth und Elende sterben &c. &c. &c. Hæc Thomas Kanzovius, quem sequuntur Cramerus & Micrælius, refert in chronico Pomer. MSc. de Anno 1542.

§. VII.

Nicolaus igitur II. prioris nepos & *Johannis Pacifici* fil. indignam patrui necem ultus, ejectis solo patrio parricidis, omnique Herulano tractu solus potitus, *Güstroviæ* sedem fixit, more majorum, & sub initium *Principis Nicoloti II. beneficia in Güstrovienses collata.*

Magister coquinæ nostræ, Nicolaus de Oerze, Jonas, armigeri nostri, & plurimi fide digni.

(β) Testes hujus emtionis leguntur: milites Dominus Nicolaus Haan, Johannes & Bernhardus fratres de Bellin, Hermannus Moltike, Matthias Kettelhud, Tancquardus de Geze, Conradus Buno, Ludolphus & Hartmannus de Grammelin, Hinricus de Lukowe, armigeri, Johannes de Geze, Gotmarus de Retsowe & alii quamplures fide digni. Datum Malchin ann. 1293. per manum Domini Johannis de Retze nostri Capellani.

(γ) Testes hujus instrumenti perhibentur: Conrad Küne, Bernhardus de Bellin, Nortmannus von der Osterburg / Cosinarus Berend de Oosten, Fraw de Lobeke, Conrad Voss, Conrad de Lanckow, Hinrich Grubow, nostri milites fide digni. Actum & datum Plawe anno 1307. in Domin. Misericord. Dom.

§. VIII.

Johannis III. Principis Herul. beneficium in Güstrovienses, A. 1323.

Güstroviæ interim, cum sors ita tulisset, potentatu Vandalico eminebat *Johannes III. s. Senior*, Nicolai II. frater, Princeps non minus manu fortis belloque strenuus, magis tamen Marchioni Brandenburgico, quam Henrico Leoni Meclenburgico, amicus; amicissimus autem Güstroviensibus suis. Nam anno 1323. civitatem nostram multis cultissimi agri jugeribus impertivit, juvit, locupletavit, permittendo ple-

plenam eidem potestatem emendi vel potius redimendi integram *villam* Glevin cum molendino omnibusque huc pertinentibus, aquis, silvis, agris, pratis, pascuis &c. ab Abbate & Conventu Monasterii Lapidis S. Michaëlis (des Münsters zu dem Michel-Stein an dem Stiffte zu Halberstadt) Ordinis Cistertiensis in Halberstad, qui olim 1292. à Principe *Nicoloto* s. *Nicolao* II. prædictam villam donationis jure abstulerant: cessitque *Johannes* Princeps noster omni exceptione ac jure, quod in villam istam Glevin vel à se vel à successoribus suis prætendi unquam posset (*). Civitas vero, ut tanto rectius in commune consuleret, postea pagum veterem Glevin vomere subvertit ac prorsus subaravit, quique indigerent rure, civibus omnem culturam agrorum permisit; at molendinum aliquanto inferius sub urbem collocatum prisco adhuc retento nomine (die Glevinsche Mühle) non quotidianum modo incolis emolumentum, sed & annuos in ærarium reditus importat.

(*) In hoc Diplomate Testes citantur: Dominus Borchardus Præpositus Güstroviensis, & Statius Canonicus ibidem: Nicolaus & Eghardus Haane fratres, Fridericus de Lobeke, Hinrich de Morin, Hermannus de Cremon, Milites nostri: Johannes de

Güstrow officialis nostræ Curiæ, & quamplures alii fide digni.

§. IX.

Judæorum piaculare crimen Güstrovia commissum in profanatione consecrata Hostia, Ann. 1325. vel 1330.

Dum aucta sic multo agro hæc civitas efflorescerct, reditibusque publicis æque ac privatis indies cresceret, interea excrevit in immensum quoque cœca pietas & vana superstitio, quam opibus elati sacrificuli juverunt usque ac promoverunt, nescio quæ crepantes nonnunquam miracula. Cujusmodi sunt, quæ apud *Cranzium* atque *Mareschallum* relata legimus, quæque integra totidem ex utroque verbis huc transferemus, omnia cordati lectoris judicio permissuri. „Cum Wandaliam, ve„teri nomine in ea regione provinciam, „administraret *Johannes* Nicolai proximi „Præsidis germanus frater, Judæi, qui ab „antiquo ibi mansitabant, piaculare cri„men (ut sæpe alias) commisere in Vene„rabile Christi Sacramentum, in *Craçone* „ejus ditionis oppidulo, effractis Ecclesiæ „foribus & sacratis inde postibus, furati „sunt tremendum Christi Sacramentum in „pyxide, multis sacratis ad causam infirmo„rum hostiis, quasdam punctionibus tor„serunt, alias scissuris lacerarunt in contu„meliam Christi: cæteras conculcave„runt, sparseruntque publico itinere, ut „Christianorum etiam pedibus calcaren„tur.

tur. Sensere primi Sacerdotes furtum, ,,
& quid suspicarentur, non habebant. De- ,,
tulere rem majoribus in oppido: perla- ,,
lata est ad *Güstrowense Capitulum*. ,,
Clerus indicto jejunio postulavit à DEO ,,
revelari, quid factum esset de venera- ,,
bili Sacramento: furemne argentum an ,,
Sacramentum invitasset. Cum deferre- ,,
tur res ad Dominum *Johannem* Præsi- ,,
dem, cœpit statim suspicari, quod erat; ,,
jussitque rapi Judæos in quæstiones: sta- ,,
tim fatentur crimen, detegunt conscios: ,,
corripiuntur omnes noxii in provincia: ,,
sacratæ Hostiæ quæruntur in sabulo, cre- ,,
brescunt miracula, fit populorum con- ,,
cursus: ex votis piorum instruitur ca- ,,
pella: Christo laudes personant: Judæi ,,
exquisitis suppliciis fracti rotis necan- ,,
tur. Nec longum tempus in medio, ,,
ad annum Christi tricesimum post mille ,,
trecentos (Anno 1330.) in *Güstrow* similis ,,
exsecratio Judæorum detegitur, hoc or- ,,
dine: Erat Judæa mulier, ad Christum ,,
suscepto Baptismate conversa; obviam ,,
habuit in vico Judæam germani sui con- ,,
jugem Eleazari; ea invitabat conversam ,,
in domum suam humanitatis specie; At ,,
illa, Deum, inquit, meum timeo, ideo ,,
me retraxi à communione Judaica: sto- ,,
machata Judæa refert, quia pro facinore ,,

 ,, & fla-

„ & flagitio exclusa es a Synagoga, ad Chri-
„ stianos te contulisti, ut laxius luxurieris.
„ Quid? inquit illa, dicis o venefica? co-
„ git me calumnia tua fateri, quod nun-
„ quam fassa sum, cur a vobis discesserim.
„ Meministi, cum venerabile Christi Sacra-
„ mentum a Christiana muliere; coëm-
„ ptum, pungeretis in Synagoga astante
„ me, & velut infantis vagitum audiente.
„ Terruit me injuria, movit me rei mira-
„ culum, visitavit Deus cor meum, ut pro-
„ tinus fugerem à vobis in Ecclesiam, asse-
„ cuta misericordiam cum Baptismate,
„ quam utinam tu & tui omnes ex animo
„ requireretis. Hæc erat vera à vobis de-
„ clinandi causa, non quam odiosa fingis.
„ Audivere nonnulli verba mulierum, &
„ cœpit observari Christiana ad veritatis
„ indagationem. Res pervenit ad *Johan-*
„ *nem* Principem: & zelo Dei fervens ex-
„ clamat: num perfidum genus potest; à
„ contumelia conditoris cohiberi? ilico
„ jussit omnes in urbe teneri Judæos, & ad-
„ hibitis quæstionibus cœpit indagare veri-
„ tatem, sed adeò callum pectoris in gente
„ obduruit, ut quamvis res in vero fuerit
„ peracta, neuter sexus, nulla ætas fatere-
„ tur. Adducta est Christana mulier, quæ
„ vendiderat: profugerat enim, cum au-
„ disset rem detegi. In conspectu Do-
mini

mini *Johannis* confessa est crimen suum, „
vitam deprecata, quia fallente Diabolo „
corruisset, emendatura vitam salutari „
pœnitentia. Erit, inquit ille, digna ope- „
ris tui remuneratio; tantum deprecare „
DEUM, ut propitiatus tibi veniam lar- „
giatur, jussitque mox concremari. Tum „
missis militibus ad majorem gentis Elea- „
zarum, suaderi fecit, ut detectâ hostiâ, „
quam male extraxerint, salvet se ac gen- „
tem suam, suscepto baptismate. Ille re- „
spondit, nunquam se contra veritatem „
dicturum, etiamsi ignominiose sibi ac suis „
sit moriendum. Nobilis uxor *Johannis* „
interpellabat conjugem ejusdem, si ea fle- „
xa virum emolliret. Quod ubi perspe- „
xit Judæus, exclamat: constans esto mea „
Methildà, nihil te terreat, pro veritate, „
morientes in sinum Abrahæ mox evola- „
bimus. Jussit apparari in conspectu py- „
ram ingentem, ut præsenti supplicio, „
terreantur, omnes concremandos, nisi „
detegerent venerabile Christi Sacramen- „
tum. Nemo movetur: jussit cæteros in „
ignem projici, servato Eleazaro cum u- „
xore. Nunc, inquit *Johannes*, tuum „
est eligere, quid malis, vivere in honore, „
an mori in contumelioso supplicio? De- „
tegenti, quod requiro, & deinde baptisato, „
copiosam facio provisionem, ut cum u- „
 „ xore

„xore vitam agas non injucundam, indu-
„ratus autem concremaberis. Ille quasi
„satis caput nihil dicit: projicitur uxor in
„ignem, non movetur: mox & ille con-
„crematur, cum se contra veritatem loqui
„non posse, testaretur. Miratus Johan-
„nes, cœpit intra se cogitare, ne forte Sa-
„cerdos, qui conversam baptisarat, odio
„in Judæos flagraverit, cum mulierculæ
„rem confinxisset. Utroque advocato
„dixit. nisi fuerit à vobis detectum, quod
„detulistis Sacramentum, jam compertum
„habeo, à vobis compositam fabulam:
„proinde Judæorum innocuam necem
„sanguis vester expiabit. Territi respe-
„xere in alterutrum; tum Sacerdos: habes
„præsentem, quæ fatetur, quid viderit:
„audisti venditricem, quæ non negavit:
„ad me crimen quid pertinet? qui nihi-
„lum ac debui, feci. Audistis, ait ille,
„decretum. Mulier nihil diffisa ait Sa-
„cerdoti: modo sit nobis ingressus in fra-
„tris Synagogam, inveniemus miserante
„Deo, quod quærimus. Devotissime se
„negotio coaptarant, præmisso jejunio ac
„sacra communione cum precibus, & as-
„sumtis viris gravibus ex oppidi consulari-
„bus foderunt diu: demum cum jam ob-
„repsisset desperatio, invenerunt vitro te-
„ctam peploque involutam hostiam, qua-
„tuor

mor locis cruentam. Advocatur clerus, „ pulsantur campanæ, in laudes Christi ora „ laxantur: Capella in loco inventionis „ de oblationibus accurrentium erigitur, „ Ecclesiastica stipendia fundantur ad „ concinnandas Deo laudes: Permansit „ capella in annum tertium, post quingen- „ tos ac mille: tum enim conflagrante op- „ pido (Güstrow) ab igne fulguris cum „ Ecclesia parochiali deperiit, in vigilia A- „ postolorum Petri ac Pauli. Hæc Crantz. „ Vandal. lib. VIII. cap. 8. integro. *Ni-* „ *colaus Mareschall.* rem eandem pau- „ lo contractius ita tradit: Tempe- „ state illius (sc. Johannis Herulo- „ rum Principis) anno fere millesi- „ mo trecentesimo quinto supra vige- „ simum Judæi in civitatula Vandalo- „ rum Coraco Eucharistiam sacram sæve „ lancinarunt, sed & non multo interjecto „ tempore Sabbatarii in *urbe Güstroina* fa- „ cinus idem facinorosissimum ausi in Eu- „ charistiam, quam rite sacratam à puella „ indigena, anno fere millesimo trecen- „ tesimo quinto supra vigesimum, coëme- „ rant, meritas sacrilegii pœnas dedere, „ puellâ acerbiore etiam sententia exustu- „ latâ & excarnificatâ, refossa honorificen- „ tissime inter hæc Eucharistia, quæ in tem- „ plo nunc ibi divæ Cæciliæ bis die religio- „

„ne eximia commonstratur. *Mareschall.* Annal. lib. III. c. 7. Idem & in Chronico Rythm. eandem Historiam graphice depinxit lib. II. cap. VII. ubi inter alia Presbyteri s. Sacerdotis, qui puellam e Judaismo converterat, nomen innotescit:

Man sagt: Es ist kein Amt so geringe/
Man mag davon Geniesse bringen.
Der Voigt die Zeit zu Güstrow eben/
Der kreig/ daß er desto baß mocht leben.
Er gab seinem Herren auch den Rath:
Sie kregen beyde Geldes satt.
Zuletzt der Herr hart befohlen hat/
Herr *Johann* von Warckentin der Zait
Priester/ der die Jüdin gelahrt/
Do sie zum Christen-Glauben gefahrt/
Solt ansprechen: die Pein
Welche geleden die Joden in Feuers Schein
Sollen Sie beide leiden darnach
&c. &c.

§. X.

§. X.

Hâc ratione Recutitos sacra olim nostra nefarie violasse, nec impune illud tulisse accepimus; majores vero nostri, non magis Sacrilegii judaici, quam miraculi Christiani monumentum aliquod posituri, e vestigio fanum sanctissimi cruoris (des H. Bluts Kirche) eodem, quo reperta fuerat Hostia excarnificata, quoque antea steterat Synagoga Judæorum, loco exstruendum curarunt, exstructumque deinceps identidem religionis pleni frequentarunt, donec post CLXX. circiter annos delubrum istud funditus deflagraret. Ex quo tempore Venerabili illud in sacram D. Cæciliæ ædem translatum & iisdem hîc, quibus antea illic, ceremoniis expositum fuit; at non multo tamen post exoriente clarioris Evangelii luce Ceremoniis melioribus non modo cessit, sed plane etiam cessavit in hunc usque diem. Nec satis potuit ex cineribus suis resuscitari exustum sacri cruoris sacellum. Principes quidem nostri *Henricus Pacificus* & *Albertus Pulcher* Duces Mecleburgenses anno 1509. eundem locum Monasterii Franciscani Ordinis (Barfüsser-Closter von der besten observance) concedente Pontifice Romano rursus consecrare cœperunt; at cœpta vix ac ne vix quidem potuerunt absolvi, jam- *Fanum SS. cruoris in memoriam Sacrilegii Judaici Güstrovia exstructum.*

tum tabascente Papatu. Hodiernum ejus rei quicquid superest, nihil quicquam sacri retinet, sed profanis servit usibus & partim Principis *Granarium*, partim *Area cœnobialis* audit (der Fürstliche Korn-Boden und Closter-Hof). Genti autem circumcisæ posthinc quasi aquâ & igni interdictum fuit Güstroviæ: accessit tandem Sacrilegium illud Sternbergense, anno 1492. nostro haud dissimile, quod Judæos omnes demum omni expulit terrâ Mecklenburgicâ. Videsis Mareschall. Annal. Her. lib. VII. c. 8. & Chron. Rythm. l. 1. c. 81. qui datâ etiam operâ in peculiari libello anno 1510. in vulgus edito id facinus Sternbergense exposuit. Interim remansit qualiscunque supplicii Judaici memoria apud Güstrovienses, dum locus nescio quis extra portam occiduam & ab *ornis* vulgo denominatam (vorm Hagbüchschen Thor) *cœmeterium Judæorum* (der Jüden Kirch-Hof) adhuc appellari consuevit, quod testatur Rationarium civicum, in quo limites atque termini hortorum suburbanorum describuntur, das Stadt-Buch und die alten Register von A. 1500. darinn die Gärten und Höfe vor der Stadt verzeichnet stehen. Ibi identidem occurrit memoria Cœmeterii Judæorum vulgo des Jüden-Kirchhofes.

§. XI.

§. XI.

Dum ita res, caput & fortuna Judæorum agitur in foro Güstroviensi, interea seculum completur, quod fuit a prima nostratium Conversione secundum. Nec ita multo post moritur Johannes III. Princeps religiosissimus anno 1337. d. 27. Augusti relictis ex conjuge Mechtilda Luneburgensi Nicolao & Bernhardo filiis, illo Güstroviensium, hoc Röbelensium Domino. Nicolaus noster cognomento Balbus idemque III. bene rebus suis consulturus interfuit illustri conventui, qui anno 1338. Lubecæ a multis e vicinia Principibus Brandenburg. Luneburg. Meclenburg. Pomeran. Saxoniæ inferioris & Holsatiæ habebatur, publicæ tranquillitatis causa & propter exstirpandos latrunculos. Ubi Principi Güstroviensi Nicolao per-opportuna oblata fuit occasio contrahendi cum Agneta Henrici Leonis Meclenburgici filia matrimonium: prior enim conjux Nicolai nostri Agneta Holsatica improlis decesserat. Crantz. Vandal. lib. VIII. c. 19. Ex qua conjunctione arctius inter Meclenburgenses atque Herulanos Principes contribules vinculum intercessit, qui anno 1344. ac deinceps pacta sua confraternitatis & renovarunt invicem & constabiliverunt. Mecleburgensium vero Principum digni-

Benigna Güstroviensium fata sub Nicolao III hujusque filio Laurentio Principibus Herulanis.

dignitas atque potentia exinde insigniter aucta est, quod & anno 1348. in *Ducum Imperii* numerum asciti, & ann. 1357. seqq. *Suerineo Comitatu* postliminio tandem potiti sunt, Comitibus illis demorientibus. Confer. Cranz. Vandal. lib. VIII. c. 22. & 32. Marschall. Annal. lib. VI. c. 1. VII. c. 1. 3. Lindenberg. Chron. Rostoch. lib. II. c. 10. Concessit in fata sua *Nicolaus Balbus* Güstroviæ A. 1360. cum XXV. annos ferme præfuisset. Superstes ei fuit filius *Laurentius* ex Agneta Meclenburgensi ad optima quæque natus, qui, ut Mareschall. memoriæ prodidit, rei divinæ ab annis teneris incumbens, paci sic didicit insuescere, ut laudem sit insignem adeptus apud posteros. Cum Marchionibus Brandenburg. Ducibusque Meclenburgicis perpetuo coluit amicitiam ac societatem. Goldbergensem atque Parchimensem districtum aliquantisper separatis Dominis usum anno 1376. ad se suosque postliminio reduxit, decedentibus sine virili sexu Principibus consanguineis. *Güstrovienses* autem non minus his quam superioribus tempestatibus, de benignissimo sibi Principe haud immerito gratulari potuerunt, quoad *Laurentius* rerum potitus est. Huic enim optimo Principi acceptam referunt cives nostrates omnem veteris *villæ* Glien possessionem,

Güstrovienses agris aucti 1375.

quæ

quæ anno 1375. civitati nostræ justo emtionis titulo cum omnibus eodem pertinentibus emolumentis, agris, pascuis, silvis, paludibus, jurisdictionibus, ita fuit tradita, ut libere ac perpetuo eâdem uti, frui, eandemque in quemcunque usum suum convertere liceret (*). Villam ejusmodi Ollen olim Nobilis quidam Henricus Gamme Hæreditarius in Insula Schwerin possederat, a quo Princeps *Nicolaus Balbus*, p. m. emptionis jure acquisiverat; hujus vero filius atque successor Princeps *Laurentius* eodem, quo acceperat Parens, jure rursus vendidit Consulibus ac universitati civium (prout verba habent diplomatis) pro 1800. marc. Lübecensium denariorum in certum suum usum, videlicet in redemtione oppidi Plawe pro 2000. marc. puri argenti Patruo suo Domino *Alberto* Duci Megapolensi periculose obligati &c. Sed Magistratui nostro deinceps consultius visum est, sublatâ pristinâ villicatione rus illud omne civibus licitantibus tribuere cæterisque sub urbem jugeribus adjungere, ut in reliquis factum est villis oppidanis. *Laurentius* tandem ætate gravis A. 1393. XVII. Cal. Octobr. mortuus est, relictis ex Mechthilda (Mathilde) *Nicolai* IV. Goldbergensis lineæ Principis filia, quatuor virilis sexus liberis, Balthasare, Johanne, Nicolao, Wil-

Wilhelmo: quorum natu majores virtutibus incliti conjunctis viribus ac rationibus rempubl. suscepére regendam; at Nicolaus vix crepundiis egressus ex hac vita migravit, cum *Wilhelmus* interim studiis atque vitæ monasticæ assuesceret.

(*) Testes hujus emptionis memorantur: Henricus Levezo, Hinrich Linstow, Ulrich Molzan, Johannes de Grabow, Hinrich de Bülow, milites; Hinricus de Plawe noster Cancellarius, Martinus Distelow & Henricus Linstow, famuli, & alii quamplures fide digni. Datum & actum Güstrow anno incarnat. 1375. die dominicâ infra octavas nativitatis Mariæ virginis gloriosæ.

§. XII.

Principe Balthasare regente Bellum Lubecense cùm alios tùm Güstrovienses afflixit A. 1403.

Balthasare igitur Principatum hunc Venedorum tenente anno 1400. seqq. conflatum hic viciniæ est bellum funestum in Lubecenses, nescio quæ hostilia meditantes adversus Balthasarem, quos quidem Princeps idem bellicosus ad pacem brevi compulit (si Mareschallo fides est habenda); at non poterant insignioris cladis expertes extitisse *Güstrovienses* nostri: id quod evidentius patebit ex Alberto Crantzio rem pluribus ita verbis exponente: „ *Balthasar* „ Laurentii filius, Wandaliæ Princeps nondum pacato erat in Lubecenses animo. „ Recruduit memoria, quia perduravit causa

sa controversiarum: duabus ante hoc vici- ,,
bus, quod ante commemoravimus, ausus ,,
propinqua urbis vastare, etiam jumenta ,,
abegit, quod unum est promtissimum ,,
militiæ genus in nostratibus. Indoluere ,,
cives de repetitâ injuriâ, & cum non alia ,,
spes esset justitiæ ex eo consequendæ, ar- ,,
mis vindicare constituunt injuriam. *Ul-* ,,
ricum Stargardiæ Principem interpel- ,,
lant, ut, permisso illis ad tempus in ho- ,,
stem oppido *Sterneberg*, castra ibi sua fi- ,,
gerent. Quo impetrato duxére in ,,
Principem memoratum: oppido *Par-* ,,
chim, quod hosti paréret, cum agmine ,,
Lubicenses propinquant: jumenta abi- ,,
gunt, prædam per agros omnes conve- ,,
ctant, igne & ferro cuncta fœdantes. In- ,,
de moverunt in locum, quem ubertate ,,
glebæ, villarum frequentiâ, *hortum* vo- ,,
cant *rosarum*: eum simili vastitate de- ,,
formant. Nec eo contenti in oppidum ,,
Güstrow agmina sua convertunt, etiam ,,
obsidioni apparatum facientes. Quod ,,
ubi *Balthasar* vidit, commonitus multis ,,
suorum, submisit amicos, qui Treugas ,,
interponerent, temporaque constitue- ,,
rent rebus omnibus ad liquidum com- ,,
ponendis. Eâ re patratâ Lubecenses ,,
victorem reducunt in urbem exercitum. ,,
Cranz. Vandal. lib. X. c. 10. Nec possu-
mus,

mus, quin veteris alicujus Poetæ *M. Henrici Aquilonipolensis*, qui ineunte Seculo XVI. de *primordiis urbis Lubicanæ* scripsit, versibus, subagreste quiddam sonantibus, ex celeberr. *Meibomii* Rer. Germ. Tom. I. pag. 617. rem illustremus:

Lib. II. c. 12. Anno milleno quadringentesimo & uno
Slavorum Dominus *Balthasar* infremuit.
Infremuit Barnham Dux Wolgast. in Lübecenses,
Cum quadringentis ambo Phalangiferis.
Christophori quondam sancti accendere tabernam:
Hosce sequebantur Urbicolæ celeres. &c.

c. 13. De placito Stargardiaci Ducis Udalrici
Cives Stellari in monte habuere suos,
Contra *Balthasar* hi Slavorum Principem Herumque
Parchemiæ vaccas abstulerantque pecus.
Intravere secundo Hortum rosearium in igne
Vastantes villas multiplices inibi.
Güstrowiam obsedere dehinc: illam obtinuissent:
Sed res per treugas pacificata fuit. &c.

Dul-

Dulcius autem ea de re *Boëerus* noster, qui eodem sed paulo adultiore seculo vixit, videtur cecinisse lib. 2. de origine & rebus gestis Duc. Mecleb. edit. Lips. 1556.

Hunc (Balthasar) etiam patriis sors dira coëgit in agris,
Tristia civili sumere bella manu.
Sæpeque difficiles belli discrimine clades
Civibus inflixit, celsa *Lubeca*, tuis,
Et tua prædatus signis hostilibus arva,
Abduxit cunctis rapta jumenta locis.
Illius impatiens urbs præclarissima damni
Undique militiæ colligit arma suæ.
Ducit & audaces in Vandala rura cohortes,
Perchini celsas depopulata domos.
Stelligerique capit validissima mœnia *montis*,
Et trux immensum civis in urbe furit.
Est locus & *roseis* peperit sibi nomen ab *hortis*,
Et superat cultu rura Sicana suo.
Hunc quoque ferali civis deperdere flamma
Sustinet, & mœstos cogit abire lares.
Urbs neque *Güstrovium* damnis immunis ab istis
Exitii doluit tempora dura sui.

G Dege-

Degener ô civis tunc sumtis fortior armis
Nunc citus in luxum, lentus in arma ruis.
Balthica feralis dum pressit littora pestis,
Güstroina fortis Balthasar urbe cadit.

Obsidio Güstroviensis A. 1403. Accidit obsidio isthæc Güstroviensis anno 1403. quo eodem per legationem pacificatoriam composita & transacta sunt omnia. At concoquere tamen haud potuit Princeps *Balthasar* injuriam, quam sibi illatam putabat a Stargardiensi Duce, qui inferentibus bellum Lübecensibus aditum patefecisset in terras Vandalicas. Ideo brevi spatio interjecto *Balthasar* initâ cum Marchionibus Brandenburgicis societate anno 1414. bellum indixit Stargardiensibus ac Mecleburgensibus fœdere junctis: acriter utrinque pugnatum est, donec Princeps *Christophorus* Balthasaris patruelis ac socius, qui in primis stabat fortissimeque pugnabat, ab adversariis captus, magnoque redemtus pretio pacem acceleraret Anno 1416. Quæ firma demum fuit inter domum Vandalicam & Mecleburgensem amicitia, cum A. 1418. mutuis invicem pactis ac fœderibus fraternis conglutinati Principes consanguinei, in futurum, si quid humani forte cuiquam evenisset, de

rebus

rebus ac regionibus suis prospexerint atque præcaverint sibi, ne quid ad alienos devolveretur dominos. Consopitis tandem omnibus, quæ ab Lubecensibus adhuc remanserant, offensis atque dissidiis, Princeps idem anno 1421. d. 5. April. animam cœlo reddidit, Güstroviæ elatus tumulatusque in æde Cæciliana: qui è ternis nuptiis neque masculum neque fœmellam vidit sobolem. Duces Meclebutgenses autem cum viderent Principes Herulanos Agnatos suos adhuc improles, eodem anno 1421. Universum Principatum Venedorum omnesque ejus clientes ac cives eventualiter in leges suas atq; fidem jurare jusserunt, volentibus idem & consentientibus *Balthasare*, *Wilbelmo*, & *Christophoro* Herulorum Dominis: quo pacto & Güstroviensibus in quemcunque eventum pristina jura ac privilegia sunt confirmata.

§. XIII.

Sic e Vandalica stirpe, quæ admodum ramosa nuper, duo tantum Principes amplius eminebant ac restabant *Christophorus* Varnensis & *Wilhelmus* Güstroviensis, in quibus tum omnis propagandæ domus avitæ spes consistebat; sed eheu! fallax. Alter enim, quem captivum quoque suprà dolebamus, prælio quodam suorum perfi- *Anceps Güstroviensium fortuna sub VVilhelmo Principe Herulano postremo.*

diâ cecidit ann. 1425. in finibus Marchicis, cum adversus *Johannem* Marchionem Brandeburg. Principes nostrates illatam sibi ex diffidatione quadam injuriam justis armis vindicatum irent. *Wilhelmus* autem, Laurentii filius natu minimus, ab ineunte ætate literis dicatus iisque in Academia Pragensi initiatus ac probe imbutus, postea inter Canonicos Güstrovienses locum invenit, anno 1401. ad Præpositi dignitatem evectus. Tandem ubi inclinatam labentemque vidit ac prorsus emorientem familiam suam per-illustrem, persuaderi sibi passus est, ut missum faceret cœlibatum omnemque ordinem, cui vitam devoverat, monasticum. Impetratâ igitur à Pontifice Romano veniâ conjugium iniit atque ad rempublicam accessit, quam amisso fratre improli solus administravit, plane pertæsus belli, postquam gravissimum illud ex fratre funestâ clade interempto, vulnus acceperat, & ipsemet ægre manus hostium evaserat, egregiâ *Henrici Moltzanii* equitis sui virtute servatus. Crantz. Vandal. lib. XI. c. 4. Hinc rebus anno 1427. compositis, idem paci servivit, quantum poterat: dumque universæ Vandaliæ, quoad vixit, bene consuleret, inprimis cum Güstroviensibus non videbatur male actum: habebant enim dubiis temporibus,

quo

quò confugerent, & ubi conquiescerent, cum Mecleburgenses cæteri non carerent motibus, maximè Rostochienses, qui tunc temporis civilibus fluctibus atque procellis adeo agitabantur, ut Anno 1430. ab excidio & ferali exitio haud procul abessent. At *Wilhelmus* noster, quâ fuit in urbem viciniam propensione, non committendum putavit, ut tanti periculi, quod cervicibus ipsorum imminere prospiciebat, nec admonerentur cives incauti, nec funesta insidiantium consilia iisdem detegerentur: quo factum est, ut insidiatores infectis rebus discederent, & civitas in ipso articulo à cædibus ac rapinis liberaretur. Cranz. Vandal. lib. XI. c. 21. & Lindenberg. Chron. Rostoch. lib. III. c. 5. qui posterior, dum merito suo collaudat optimum Principem *Wilhelmum*, minus recte tamen ipsum vocat *Præpositum* Güstroviensem, cujusmodi dignitatem Ecclesiasticam tum non amplius sustinebat, sed Canonicis dudum renunciaverat, perperam vero *Ducem Stargardiæ* eundem appellat, qualis nunquam fuit, qui potius *Princeps Wendorum ac Dominus Herulorum* (Fürst zu Wenden und Herr zu Werle) fuisset appellandus. Inter hæc Güstrovienses *Seculum*, quod fuit à prima plantati Christianismi recordatione III. compleverre, magis heu! magisque

NB. Anno 1428. completur Seculum à primo Güstroviensium Christianismo tertium.

que à prima veritate ad spissos errores abeuntes una cum reliquis.

§. XIV.

Vicissitudines Güstroviensium VVilhelmo Principe demoriente Ann. 1436.

Interim quas Vicini dolebant vicissitudines, eædem & nobis imminere videbantur. Scilicet *mutarat Dominos Marchia sæpe suos*; mutarat Saxonia, mutarat Holsatia: mutatura videbatur & Vandalia, cum & Princeps *Wilhelmus* anno 1436. d. VII. Septembr. compleret vitæ suæ annos, nec e duabus *Anna* Anhaldinâ & *Sophia* Pomeranicâ uxoribus filios relinqueret hæredes. Superstes quidem fuit e secundo conjugio ipsi Filia *Catharina* venustissima, *Ulrico* Stargardiensium Principi tandem nupta; sed sine virili sexu inclyta Principum hæc Venedorum familia, quæ ultra CC. annos floruerat, non potuit non deficere, agnatis Ducibus Mecleburgensibus opimam hæreditatem adeuntibus. Initio hæc res ad bellum spectare videbatur, Marchionibus Brandenburgicis litem Domui Meclenburgicæ moventibus; verùm Imperatore Sigismundò eam controversiam dijudicante ac dirimente, ceciderunt illi causa, Meclenburgensibus jus suum obtinentibus. Chemnit. in Epitome Geneal Duc. Mecleb. Elatus autem est *Wilhelmus* ultimus Venedorum Princeps Güstroviæ maximâ pompâ funeris, galeâ cum scuto & reliquis insigni-

gni-

gnibus, quod fieri consuevit, una cum Principe sepultis in æde Cæcilianâ seu templo cathedrali. Hanc insignem rerum Commutationem portendisse quodammodo tempestates insolitæ videntur Crantzio, qui Vandal. lib. XI. c. 39. *Hac vero*, inquit, *anno per auctumnum tantæ fuerunt tempestates, quibus nulla hominum memoria similes unquam vidisset: dejecta per nemora ingentia arborum robora, intumuere cuncta flumina, rupti sunt aggeres, infinita hominum jumentorumque multitudo intercepta periit, ad Albim, Visurgim, Rhenum, deinde decidére nives profundissimæ, ut per aliquot dies invia essent itinera: secutum gelu incompertum, ut multi per itinera perierint viatores, duravitque in mediam quadragesimam. Quo tempore novissimus Vandaliæ Princeps WILHELMUS clausit diem extremum, solâ post se filiâ relicta* &c. Cranzio calculum adjecit *Johannes Bocerus* ominator non dissimilis lib.2.de Orig. Duc. Mecl.in *Wilhelmo* Herulorum ac Wendorum Domino ultimo:

Cum fera tempestas, similem cui nulla tulerunt
Secula, ferales fecit in orbe metus.

Ventorum rabie celsis cum turribus urbes,
Heroum fortes & cecidere Domus.
Et tumidi passim volventes omnia secum
Aggeribus ruptis prosiluere lacus.
Ultimus occubuit generosi sanguinis Hæres,
Stemmata Vandalicæ qui tulit alta domus.
Regibus a magnis multos dominata per annos.
Hic cum stirpe suâ deficiente cadit.

Incidit feralis ille casus in ipsum annum A. 1436. 1436. fuitque dies VII. Septembr. Principi tanto emortualis. *Nicolaus* quidem *Mareschallus*, & quotquot hujus viri insistunt vestigiis, pertinaces sunt anni 1430. propugnatores; at erravit bonus *Mareschallus*, ut solet nonnunquam, præsertim in Chronologia, facileque patet error ex Diplomatibus, quæ penitius inspexit *Chemnitius* noster in Epitome Genealog. MSc. sæpius nobis citatus. Et patére potest vel ex Crantzio, qui prope abest ab Anno 1436. Patet ex Historia Concilii Basileensis, anno 1432. inchoati, cujus reprehensionem incurrit Princeps *Wilhelmus* A. 1436. ideo ingenti mulctatus pecunia pauloque post irrogatam mulctam mortuus, sine dubio ex mœrore. Patet denique ex literis, quibus idem Prin-

Princeps firmavit anno 1436. d. 12. April. omnia jura ac privilegia Güstroviensia. Sunt & alia, in quibus non possumus non derogare fidem *Mareschallo*: asserenti enim Principem *Wilhelmum* fuisse filium *Johannis* VI. Herulani Principis, nepotem *Bernhardi*, & *Johannis III.* Güstroviensis pronepotem, hoc pacto minus credimus, quàm *Chemnitio*, qui eundem *Wilhelmum* ponit *Laurentii* filium & *Johannis* III. e filio *Nicolao Balbo* Pronepotem; quod quâ ratione, quâve auctoritate probari queat, non amplius soliciti sumus, cum satis constet, *Chemnitium* nostrum accuratâ diligentia egisse & e Diplomatibus Tabulisq; Archivorum omnia sedulo contexuisse. Accedit auctoritas *Alberti Crantzii*, qui in Vandal. Lib. VII. c. 42. X, 25. IX, 40. Principem *Wilhelmum* fuisse *Laurentii* filium & *Balthasaris* fratrem attestatur. Est & in Archivo Civitatis Güstroviensis Diploma, quod Principes nostri *Balthasar* atque *Wilhelmus* A. 1418. civitati huic impertiverunt, ubi iidem *Fratres* (non *Patrueles*) salutantur: Wir Balthasar und Wilhelm Brüder von GOttes Gnaden Herren zu Werle / bezeugen und bekennen offenbar in diesem Briefe. &c. Subjicientur hæc Benevoli Lectoris obtutui in Schemate Genealogico, quod simul

mul omnem illustriss. *Principum Wendorum* familiæ seriem repræsentabit (*). Vide Tabulam sub signo ☿

Rerum Güstroviensium PERIODUS TERTIA, De Ornamentis Güstroviæ.

§. I.

Güstrovia in fidem ac potestatem Ducum Mecleburgens. transit A. 1436.

EJusmodi incrementis insigniter aucta hæc Civitas, quicquid ornamenti postea accepit, ejus si non omnem, tamen vel maximam partem Mecleburgensibus Ducibus debet, ex quo illi Principatu veteris Vandaliæ tandem potiti sunt. Namque majores nostri eodem illo 1436. anno, quo tam illustre Reip. sidus obscuratum tristes viderant, tanto majus serenitatis jubar exortum rursus læti suspexerunt, ita, ut plures tum extitisse credam, qui solem hic orientem adorarint, quam qui antea occidentem. Idcirco publica lætitiæ signa ediderunt Güstrovienses, cum die 13. Septembr. præstito solenni Homagio non solum reciperentur in fidem Ducum Mecleburgensium, sed omnia etiam jura ac Privilegia sua tam Ecclesiastica quam civilia, renova-

pag. 106.

Slavorum postremus † 117

s. † 1227.

Rostock † 1226.

nus III. — Pribislaus II — Margareta
orum f. Dominus c nupta
ostock. chenberg & Guncelino
chim. † 12 Comiti
Suerinensi.

ardus — Henningu
1286. † 1288.

39.

herus — Johannes III. — Henricus
nicus Dominus de Dominicani
leburg. succedit fratri bel.
313. to II. in Güstr
† 1337 I.

Bernhardu e Werla
Dominus de hagen.
in Röbel. s † 1360.

Mechtild — Johanne — Catharina

Johanne psit
rgard.

novata, firmata & amplificata impetrarent: supersunt adhuc, quæ fidem faciunt, instrumenta in Archivo Civitatis nostræ. Præfuerunt autem universæ Reipubl. tum temporis Principes: *Johannes & Henricus* Stargardienses; *Henricus & Johannes* Suerinenses, patrueles omnes ac Duces Meclenburgici, qui conjunctim subscripserunt novo Regimini Vandalico, & Principatum hunc indivisim administrandum susceperunt, cum alioquin illi Stargardiacas, hi Meclenburgicas terras a se invicem separatas regerent. Dum vero hæc *Güstroviæ* gerebantur, tanta Rostochii sæviit civilis tempestas, ut & fulmine Basileensis Concilii percuterentur cives, & ipsius *Sigismundi* Imperatoris proscriptione terrerentur. Hac occasione Academiæ Professores atque clerus, ut imminens periculum effugerent moniti, Griphiswaldiam secesserunt anno 1437. & cum in septimum fere annum latitassent ibidem, reversi tandem Rostochium novam ex se natam Academiam Gryphicam reliquerunt. Lindenb. Chron. Rostoch. Lib. III. c. 6. & Lib. V. c. 7. confer. Cramer. Histor. Pomer. Eccles. Lib. II. c. 37. & cap. 42. Cæteras hic urbes passim, quod affligeret malum, fuit *Diffidatio*, uti vocant, quæ illis temporibus ita invaluerat in his oris, ut ad latrocinia

ac rapinas omnem patefaceret fenestram, indeq; publica tranquillitas & commercia nimium disturbarentur. Huic malo Civitates & Civitatibus juncti Principes, quantum in se fuit, omnibus modis mederi studebant: quo & factum est, ut Duces Mecleburgici anno circiter 1457. officinas armorum instituerent in primariis suis oppidis, unde, quotiescunque postularet necessitas, manipulum militarem deligerent & adversus ejusmodi latrunculos (Hage-Junckern) educerent. Nec segnes hoc pacto *Güstrovienses* fuisse constat ex Cranzio, qui in Vandal. Lib. XII. c. 5. hæc habet: „Magnopolensium juvenum Principum, qui tum primum terræ gubernacula apprehenderent, prima opera fuit, exterminare latrocinia, quæ ex Marchia Brandenburgensi crebra tum fuissent in Magnopolensem Stargardiæque Principatus. Quocirca apparatum belli secum e suis urbibus duxere, *Wismaria*, *Güstrow*, *Parchim*, *Sternberg*, duxeruntque in arcem, quæ *novam* dixere *domum* (Neuhauß in der Prignitz) insigne prædonum habitaculum. Aberat arcis Dominus, cum omnibus fere, qui militiæ serviebant, solitum agitans quæstum, ut rusticam plebem exacturus. Non enim providerat neque formidabat, tan-

Güstroviensium apparatus bellicus

A. 1457.

„tos

tos sibi venturos hospites. Primo igitur ,, mane oppugnationi institerunt. Pauci ,, relicti arcis custodes, cum, quid illi ap- ,, prehenderent, prorsus ignorarent, eis ,, exercitationibus non satis assueti. Ita- ,, que non difficile tantis viribus arx inde- ,, fensa capitur: captam vero direptamque ,, injecto igne concremarunt, ut solo æqua- ,, retur. I Reversus arcis dominus vidit, ,, quid factum esset, tacitusque, ut erat ,, profundi sensus, cogitabat, quomodo se ,, in hostibus vindicaret: noverat enim, qui ,, in eâ expeditione militassent. &c. ,, Interjecto brevi temporis spacio pragmaticum inter utramque Sereniss. Domum Brandenburgicam & Mecleburgicam foedus pactum est, anno 1442. quo imprimis, etiam tranquillitati publicæ fuit caputum adversus quamcunque Diffidationem. Chemnit. Epitom. Genel. Duc. Mecleb. MSc. in Henrico pingui.

§. II.

His quidem initiis multam sibi gloriam præ cæteris conciliavit Dux noster *Henricus*, a corporis obesitate *pinguis* s. *crassus* cognominatus; laudatus etiam ob virtutem militarem, quod hostibus, quos strenue repressit, plerumque esset formidabilis: at non levem tamen maculam boni Principis famæ aspersit nimia ipsius, quæ *Güstrovitensium res lauta & bene aucta sub Henrico Pingui Mecleburg. Duc.*

repre-

reprehendebatur, mansuetudo, indulgentia, magnificentia. Marschall. Annal. Herul. Lib. VII. c. 7. Quibus rebus factum est, ut Principis istius satellites impune insidiarentur mercatoribus hinc inde commeantibus & pretiosa nonnunquam ferentibus. Id quod imprimis male habuit Lubecenses, tum maximum fere quæstum in his oris exercentes, quorum querelis tandem satis Princeps fecit inque suos animadvertit. Cranz. Vandal. Lib. XII. c. 35.
A. 1442. Eodem anno 1442. *Güstroviensium* res lauta & bene aucta videbatur, quod molendinum alterum intra mœnia situm Nebulæque fl. superstructum cum omnibus eo pertinentibus rebus ac fructibus a Doberanensi Abbate & Conventu, cui olim A. 1287. ab *Henrico* Domino de Werla in haud leve detrimentum hujus civitatis divenditum fuerat, nunc tandem præsenti pecuniâ redimendum curarunt; qui bene consultum
(α) civitati vellent Patres conscripti (α). Pari emptionis jure tota villa Glasevitz cum lacu Libow omnibusque jurisdictionibus publico civitatis bono cessit, à generosa Nordmannorum atque Viereggiorum in Rossevitz Prosapia empta anno 1449. (β).
A. 1449. (β) Utrumque sic perpetuo ratum esse voluit ac jussit in ornamentum suæ civitatis idem
(γ) Princeps ac Dux *Henricus Pinguis* (γ).
Qui

Qui vere pinguis dictus mihi videtur, quoniam huic uni id, quod nescio an ulli unquam alii Mecleburg. Principi contigit, ut cæteris emorientibus Dominis solus superstes & ex asse hæres rerum omnium potiretur ab A. 1471. in annum usque 1477. quo & ipsum d. 19. Mart. ex hac vita migrare oportuit, relictis e conjuge *Dorothea* Friderici I. Electoris Brandenb. filia Ulrico, Alberto, Johanne (præmaturo fato functis) *Magno* & *Balthasare* filiis; Catharina vero, Anna & Elisabetha (quæ virgines mortuæ) filiabus. Initio quidem, beato Parenti qui superstites fuerunt, filii Principes non committendum putarunt, ut avita hæc Principum sedes *Güstrovia* relinqueretur vacua: convenit igitur ita inter ipsos, ut A. 1480. veteris Vandaliæ s. *A. 1480.* potius Venedorum Provincia *Alberto* cognomine V. apanagii loco traderetur, qui & *Güstroviam* sibi, quam antea vivo jam Parente cœperat una cum fratre *Johanne* frequentare, domicilio suo delegit, inque spem majoris ornamenti ac præsidii conjugem duxit *Catharinam* Wichmanni ultimi Ruppinorum ac Lindaviorum Comitis filiam, sed præmaturo abreptus fato nec ulla relicta prole anno 1483. Güstroviensium spem atque exspectationem minuit, cujus pie defuncti exuviæ in æde hic Cæciliana

liana juxta Majores suos humatæ sunt. Plura de hoc *Alberto* Güstroviensium Principe commemorat Cranz. Vandal. L. XIII. c. 28. addatur Chemnit. Epit. Geneal.

(α) Tum Principatum in civitate tenuerunt: Jacobus Stavenhagen, Martinus Distelow, *Consules*. Georg Glowse, Jacob Berckhan, Richward VVulffesberg, Hans Bremer, *Hans* Holtenstein, Hans Clevena *Senatores*.

(β) Testes hujus Emptionis allegantur a parte Nobilium: Laurentius Linstow zu Sprentze / VVulffring Oldenborg von Vitegest, Claus Oldenborg von Gremmelin, Günter Vineck zu Carow. A parte civium: Jacobus Stavenhagen *Consul*; Detmar Kremer Scriba; Hans Grupenhagen, Martin Distelow, Jacob Berckhan, Hinrich Crone, Richard VVulffesberg *Senatores*.

(γ) Testes hujus Instrumenti adhibebantur: Nicolaus Mund Probst zu Güstrow / Johann Vireck, Bernd von Plesse Ritter / Otto Vierek, Claus von Oldenborg, Claus von Lehsten, Lütke Basseviz.

§. III.

Güstrovienses novis beneficiis ornantur a Magno atque Balthasare Ducibus Mecleburg.

Qui supererant Principes ac Duces *Magnus* II. atque *Balthasar* fratres ita præfuerunt rebus Meclenburgicis, ut terræ manerent indivisæ omnisque populus uno conjungeretur vinculo. Fuitque tanta in his Principibus animorum conjunctio, ut vide-re-

retur una mens, una voluntas in duobus: quorum & una domus fuit, unum contubernium perpetuo: germani uterque germanas duxerunt uxores, eodem Patre *Erico* Pomeranorum Duce genitas. Hinc concors passim fuit longeque felicissimus Reip. Mecleb. status, quoad vixerunt una & fasces tenuerunt *Magnus* atque *Balthasar*: nec, quæ Rostochiensium afflixit Rempublicam tum temporis, discordia civilis aliis æque potuit detrimento esse. Post communem vero tranquillitatem laudatissimi Principes triplicis beneficii memoria obstrinxere suos sibi Güstrovienses: prætorquam enim, quod more Majorum Anno 1477. omnia jura ac Privilegia antiquitus concessa ipsis denuo rata ac confirmata reddidissent, anno 1486. novo Privilegio urbi nostræ cautum fuit, ne quis in ea præter Oenopolam a Senatu Güstroviensi constitutum cauponetur hic quicquam vini aut peregrini potûs, quocunq; appelletur nomine (Wein/ Malvasier/ Methe/ fremd Bier oder ander ausländisch Geträncke) (α) cumq; anno 1488. nescio quid litis de possessione villæ Glasevitz haud ita dudum emptæ nostratibus cum Dnn. Viereggiis intercederet, tum favente supremo Judice ac suffragante jus suum ab impugnantibus vindicarent sibi perpetuoq; assererent (β)

A. 1477. *A. 1486.* (α) *A. 1488.* (β)

H De

De cæteris horum Principum immortalibus laudibus ac sempiternis meritis longum foret dicere; dixerunt copiose Cranzius, Mareschallus, Calovius, Chytræus: ad quos studiosos rerum Meclenburgicarum delegabimus, id tribus tantum verbis hic commemoraturi, à *Magno* II. Principe vere magno felicissime propagatam fuisse stirpem Meclenburgicam, *Balthasare* fratre & reliquis omnibus sine prole extinctis. Ille namque è conjuge suâ *Sophia* Pomeranica reliquit *Henricum*, *Ericum* & *Albertum* masculos, Catharinam vero, Dorotheam, Sophiam & Annam fœmellas, in ornamentum Domûs Meclenburgicæ inprimis natas: quippe *prima* Anno 1512. *Henrico pio* Duci Saxoniæ Mauritii & Augusti Electorum patri, *tertia* anno 1500. *Johanni constanti* illi Electori Saxoniæ Johannis Friderici Magnanimi Patri; *quarta* eodem anno *Wilhelmo* Hassiæ Landgravio Philippi illius Magnanimi Patri nupsit; *secunda* autem vitam amplexa Monasticam Abbatissa Ribbenicensis extitit. Decessit *Magnus II.* anno 1503. d. 22. Nov. anno æt. 62. quem *Balthasar* Anno 1507. d. 7. Mart. secutus est, anno æt. 65. Hic autem ex Conjuge *Margaretha* nullam procreavit sobolem.

(a) Te-

(α) Testes hic fuerunt: Herr Claus Ritter, und Otto Gebrüder/ genannt die Hanen. Herr Johann Tegeler Canonicus Suerinensis & Cancellarius.

(β) Testes Instrumenti fuerunt: Er Nicolaus Hane, Er Hinrich von der Lühe / Er Matthias von Bülow / Ritter; Er Johann Thun, Johannes Sperling, Diderich und Friderich beide von Viereken & plures fide digni.

§. IV.

Eodem, quo Magnus decessit, anno 1503. maxima *Güstrovie* pars ictu fulminis deflagravit, sæviitque tantopere isthæc flamma, ut publicis neque privatis, sacris neque profanis parceret laribus, præterquam Arci Ducali & Basilicæ Cæcilianæ, quæque hujus ambitu continerentur, ac quinquaginta fere aliis domiciliis ad forum caprarium (am Ziegen-Marckte) relictis. Accidit ferale illud incendium d. XXVIII. mensis Junii in ipsa vigilia Petri ac Pauli (am Petri und Pauli Abend) Meminit ejus & Cranzius Vandal. VIII. 8. Templum vero Marianum s. Parochiale cum turri editâ funditus igni absumptum intra quinquennium collectis hinc inde Eleemosynis reparari & anno 1508. Dominicâ post Festum decollat. Baptist. iisdem, quibus antea sacris initiari atque duodeviginti altaribus exornari cœpit. Dum id agitur, in

Triplex Güstrovia incendium A. 1503.

A. 1508.

eadem Petri & Pauli Apostolorum vigiliâ, post quinquennium repetitâ, rursus exarsit incendium, non cœlitus quidem, sed hominum incuriâ, quo L. recens instauratarum ædium, ac veterum LIV. ad forum caprarium, quibus antea pepercerat flamma, perierunt. Anno, qui sequebatur, 1509. *Henricus* Pacificus & *Albertus* Pulcher Duces Meclenburgici regentes indulgente Papâ Romano Monasterium Ordinis Franciscanorum (Barfüßer Ordens) Güstroviæ condere cœperunt ad ædem S. cruoris exustam, quo tanto magis pristinæ religioni suæ restitueretur locus ille (α). At paulo post anno 1512. post festum omnium Sanctorum tertium extitit incendium, quo quarta urbis, e cineribus vix dum resuscitatæ, pars, quæ boream spectat (Das gantze Schnöjen Vierthel) conflagravit, ut ita intra decennium triplici igni omnis hæc urbs perpurgaretur, & melioribus, quæ instabant, sacris præpararetur (β). Accidit idem purgatorium illâ & superiore tempestate plerisque majoribus urbibus, ut (Cranzio Vandal. VII. 33. judicante) *ex lateritiis instaurarentur, quæ mansissent in reliquiis primæ vetustatis rusticaque vilitatis, nisi purgator ignis renovari ædes compulisset.* Güstroviâ sic satis perpurgatâ, cum rebus necessariis indigerent civium ple-

(α)
A. 1512.
(β)

plerique, quibus præter agellos & hortos nihil mansisset reliqui, nec suppeteret præsens ad instaurandas ædes pecunia, tum clerus hic noster opibus valens, sibique bene prospiciens, in agris, pratis, hortis fundisque indigentium civium largiter ita collocavit pecunias, ut plus inde speraret, quam dedisset. Hoc male habuit Magistratum oppidanum, quippe qui id futurum prospexit, ut hac ratione jurisdictio atque potestas cleri tacitis incrementis augesceret in detrimentum rei civilis. Non leves hæc res turbas dedit, inque disceptationem abiit, delata tandem ad forum Principum *Henrici* Pacifici atque *Alberti* Pulchri conjunctim regentium, quorum arbitrio publicoque decreto statutum est anno 1512. ne quis clericorum amplius inconsulto vel improbante Senatu oppidano ullam locaret pecuniâ apud cives in ædibus, agris, pratis, hortisque, nisi omnis & locatæ sortis & oppositi pignoris jacturam facere vellet. Quibus compositis rebus resurrexit paulatim & vires recepit *Güstrovia*, cum nec deessent benignissimi Principes sublevandæ civitati, quibuscunque possent modis. Erantque tunc temporis pacata omnia per has terras, *Henrico Pacifico* Duce Rempublicam universam moderante, qui laudatis *Magni* Parentis vestigiis inhæsit, & li-

Beneficia Principum Henrici Pacifici atque Alberti pulchri, Duc. Mecleburg. in Güstrovienses. A. 1512.

& licet cum fratre *Alberto* pulchro communem haberet potestatem atque jurisdictionem, potissimum tamen solus reipubl. curam gessit, Alberto peregre abeunte, & plerumque sive Regis *Ferdinandi I.* aulam frequentante, sive magnorum Principum castra sequente. Chytræus Saxon. Lib. VIII. ad ann. 1520. Chemnit. Epitome Geneal. Duc. Mecleb. MSc. Interea decursum est Seculi quarti à prima Güstroviensium conversione spatium, quod terminatur in ipso 1528. anno: qui terminus inprimis videtur memorabilis, quod ab illo tempore in his regionibus, & præsertim apud nos, major indies subsecuta est Papismi inclinatio.

NB. A. 1528. finitur Seculum IV. à primo Güstroviensium Christianismo.

(a) Datur copia quædam literarum in Archiv. templi cathedr. Güstr. hujus argumenti: Ein Brief Herrn Hinrichs und Herrn Albrechts Gebrüder/H. Z. M. in welchem II. FF. GG. bekennen/ daß Sie auff Zulassung päbstlicher Heiligkeit aus milder Andacht ein neu Closter Barfüsser Ordens von der rechten Observantien in ihrer Fürstlichen Gnaden Stadt Güstrow bey des heiligen Blutes Kirchen Gott zu Lobe und Ehren zu bauen und auffzurichten fürgenommen &c. Datum Lübeke Dienstags nach Mauritii A. 1509.

(b) Loquuntur adhuc de triplici ejusmodi incendio Rythmi aliquot, rudiore olim stilo ac filo contexti, linguâque tum vernaculâ ex-

expressi; quos in occiduâ Templi Parochialis parte pilæ cuidam adscriptos, è regione verò in tabulâ quadam recentiùs dialecto Misnicâ descriptos, habemus. Nec possumus, quin antiquitatis causa illos rythmos jamjam emorientes atque vix legibiles huc subjiciamus:

Na Christi Gebort vefftteyen hundert unde dre Jar/
Am Avende sünte Petri unde Pauli apenbar/
So de Klocke to Twelffen was am Middaghe/
Wart Güstrow angheslicket van eynem hastighen Donnerschlage/
Unde dat Für so ghrote Weickynge bedreeff/
Dat noch Kercken effte Hüsere bestande bleeff/
Sünder der Dom-Kercken von der Fürstenborg was de Gnade gheven/
Dat de met eren Gebeweden ungefeeriget bleven/
Ock sesstigh Whaninge bym Zegenmarckt de unvorbrandt.
Darna is disse Kercke wedder ghekhamen in eren Bestandt/
Unde am Sündage na Decollationis Johannis Baptist,
So men schreff XV unde achte na der Bort Christ/
Js disse Kercke wedder gehilliget unde gebenedyet/
Unde mit achteyen Altaren gödlicken gewyet.
Ock synd Ghade to Lave yn synen Thron
Do sülves gegaten dre Glocken schon.
Alle de sprecken vor iegticken Altar ein Pr. Nr. unde Ave Marie,

So vacken wert em Ghott vor ieglicken ver-
lyen.
Veertig Dhage Afflates ewig gegeven mildig-
lich.
Des Ghot unde syn werdige Moder gelavet
synd ewhiglich.
Hierna alse men fesstheyn hundert unde achte
schreff/
Umme S. Peters und Pawels Avent, dat Füer
ghroten Jammer bedreff/
So dann sülvest vefftig nige Hüse mit eren
thobehöringen affbranden/
Unde uppe dem Zegenmarckede van LIV. Hü-
sern men eyn old bleff bestanden.
Fürder don men schreff veffteyn hundert unde
twelff Jahr/
Quam äverst een ghrot Füer apenbahr/
Am Mandaghe na alle Gades Hilligen Dag/
Des Morgens tho de Tertien tydt dat Füer
sick anheeff
Dat in dem Schnoigen Verendeele nich mehr
men vieff Hüse bestande bleeff.
Dat lahte uns eyn jeder fraam Minsch ent-
barmen unde tho herten theen
Got vam Hemmel geve uns syne Gnad/dat
solck ein Jammer hier nymmermehr
mag scheen!

§. V.

Henrico Pacifico Duci Mecleburg. Reformationem suam debent Ecclesiæ Mecleburgicæ.

Quemadmodum vero multa laudabilia gessit sine Fratre Alberto *Henricus Pacificus*, ita eidem fere soli Reformationis Ecclesiasticæ negotium curæ cordique fuit: quippe qui tota mente omnique studio in id incubuit, ut abolitis Pontificiorum dogma-

gmatibus Sacra redderentur puriora & ad divinæ veritatis amussim exactiora. Non quidem omnino abhorruit Dux *Albertus Pulcher* ab ea ratione, neque Censuram Ecclesiasticam a Luthero susceptam prorsus improbabat; at gratificaturus tamen *Ferdinando* Regi, remoram injecit impedimentoque fuit nonnunquam Fratri meliora jubenti. Quo factum est, ut tardiusculè hic procederent omnia, quæ ad reformandas Ecclesias pertinebant. Notavit hæc Seckendorff. in Hist. Luther. Lib. III. Sect. 8. §. 31. num. 1. *In Ducatu*, ait, *Mechleburgensi Henricus Dux Evangelicæ doctrinæ intentus ab Alberto fratre, quem Ferdinandus Rex animabat, molestias passus est.* Sacrificuli enim, qui passim tenacius inhærerent erroribus suis, admoniti & castigati, præsidium sibi quoddam in *Alberto* Duce quæsiverunt, & inde quasi cornua sumserant, repudiatis sanioribus consiliis. Insigni autem moderatione ac prudentia usus est *Henricus* Dux in emendandis sacris, qui sub initium non ad vivum resecuit omnia, sed per Theologos cordatiores identidem Visitationes Ecclesiasticas instituit, toleravitque maleferiatos Pastores, eosque ex Verbo DEI redargui, convinci, erudiri passus est, donec meliora docti sensim ad sanam mentem redirent &

ſponte ſua miſſos facerent errores. Id quod Acta Viſitat. Eccleſiaſt. ab Ann. 1533. 1534. 1540. 1541. adhuc reſidua luculentis comprobare poſſunt documentis.

§. VI.

Reformationis Güſtroviens. auſpicia A. 1533. ſeqq.

Güſtrovienſium igitur Reformatio Eccleſiaſtica cœpit non multum ab Anno, quem diximus, periodico 1528. & fere hæc habuit auſpicia. Accidit anno 1533. ut nonnulli, quos *Güſtroviæ* in familia ſua habebat alebatque *Henricus* Dux Pacificus, ſive artifices ſive alii quantivis pretii homines, partim e Miſnia huc delati Lutheranaque imbuti doctrinâ, invitarent accerſerentque indultu Principis ſui quosdam *Candidatos* vel *Presbyteros* Evangelicos, inque iis *Johannem* - - - atque *Joachimum Cruſium*, qui nonnunquam de ſuggeſtu Parochiali ad populum concionati veram ſalutis viam ſitientibus auditoribus patefecerunt. Dici verò non poteſt, quàm hæc res male habuerit Clericos Romanenſes, quantusque tumultus propterea ortus ſit in hac civitate. Sacrificuli enim ipſis feriis Paſchalibus, ubi & Lutheranos arduis rebus intentos viderunt, claſſicum cecinere, æra vel martia vel incendiaria pulſando, populoque mixti maleſano in officinam, quæ Ducis erat, monetariam, ubi Miniſter aliquis Lutheranus latitare atque

Protevangeliſtæ Lutherani apud nos.

que sacra meditari dicebatur, impetu facto, abreptum inde virum DEI ejecerunt ex urbe. Quo audito alter Princeps *Albertus*, qui adhuc Pontificiis patrocinabatur, datis ad Senatum Civesque Güstroviens. literis severioribus, vetuit admitti amplius in templo Paroch. *concionatores*, uti vocabat, *Martinianos*, voluitque prorsus abstineri rebus ejusmodi novis, donec sibi cum fratre *Henrico* super religionis negotio melius conveniret. Missi sunt præterea, qui de tumultu hic concitato quæstionem haberent, populumque coërcerent. Verum enim vero prohibere Senatus ad Mandatum Principis non potuit, quo minus vel *Joachimus Crusius*, vel *Johannes* ille, vel alius quispiam Minister Lutheranus pergeret, qua cœperat via, cursum Evangelii hic dirigere, magis jam magisque applaudentibus civium cordatioribus. Quid? quod subsequenti Anno 1534. ipsa Dominicâ Palmarum, cùm Canonici nostri & ipsorum Vicarii omnisque clerus cathedralis hic publice per plateas e templo suo Cæciliano ad ædem Parochialem solennes ducerent pompas, de consueto more palmas festivas consecraturi; factum est, ut a *Lutheranis*, qui tum intererant operamque dabant melioribus sacris, quosque prohibere & loco movere audebant illi, præcipites e templo A. 1534.
re-

repulsi disturbatique infectis rebus, unde venerant, reverti cogerentur, populo vix manibus temperante. Atque sic denuo, quam ad *Albertum* Papissantem deferrent, habuere querelam Pontificii nostri, & quapropter in Ejusdem reprehensionem incurrerent cives Güstrovienses. Nec qui factum sit, satis scio, ut optimus hic Princeps, alioqui videns meliora probansque, magis tamen Güstroviensibus, quam passim aliis, invideret puriorem Evangelii doctrinam? Fortassis, ut ægre faceret Henrico fratri, ad res nostras propensiori, quippe qui haud raro *Güstroviæ*, quotiescunque a publica, quam cum fratre communem habebat, rerum administratione vacaret, habitare ac residere consuevit.

§. VII.

Progressus Evangelii apud Güstrovienses, Ducis Henrici Pacifici beneficio. A. 1535. sqq.

Anno autem 1535. ita convenit inter Duces regentes, ut utriusque partis Clerus unà cum asseclis suis, quoad fieri posset, mutuo conciliaretur, & qui Officiis sacris ad ædem Parochialem ab hoc tempore præfuturi essent, à factiosis, quæque ad seditionem spectarent, rebus omnino abstinere juberentur. Cumque hac ratione nonnulli etiam e clero Romano illuminati Papæ repudium mitterent, & meliorem de se frugem promitterent, Dux *Henricus Pacificus*, qui fratre absente inque militiam pro-

profecto, tum quasi solus reipubl. clavum tenebat, ann. 1537. 1538. 1541. cum Senatu populoque Güstroviensi per internuncios egit de Reditibus Ecclesiasticis reducendis, augendisque stipendiis ministrorum Ecclesiæ atque Scholæ Parochialis: quo pacto benignius iisdem fuit prospectum, ut Pastorum aliquis initio 20. post 40. floren. & deinceps amplius acciperet. Nam uti rerum omnium, quibus vita humana indiget, pretium cum tempore crevit, ita mirum non est, crevisse etiam Salaria Clericorum, & auctiora ipsis esse reddita stipendia a Patronis munificentissimis. Inter hæc Protevangelistas illos extraordinarios *Johannem* N. & *Joachimum Crusium*, qui, uti dictum est, errores hic pontificios taxare & veram Apostolicam doctrinam postliminio reducere primi sunt aggressi, exceperunt ordinarii Ecclesiæ Parochialis ministri: *Jobst Schulte*, *Johannes Koch* 1538. *Johannes* von *Gröningen*. *Petrus Ryke* Pastor 1541. -- 1562. *Henricus Ithersen*, Diaconus 1541. *Jacobus Glasow*, Diaconus 1547. E quibus *Petrus Ryke* & *Henricus Ithersen* Anno 1541. in Visitatione generali qualemcunque probatæ doctrinæ ac sanctimoniæ laudem reportarunt. Inter hujusmodi Emendationis Ecclesiasticæ auspicia Ann. 1547. d. 7. Januar. moritur

Hen-

Henrici Ducis Germanus *Albertus* cognomento *formosus* (quod sua ætate omnibus Imperii Principibus corporis formâ præstaret) idemque Sereniss. stirpis Meclenburgicæ ex Conjuge Anna Joach. I. Electoris Brandenb. filia propagator & conservator felicissimus. Abs quo, dum vivebat, id ornamenti accépit Güstrovia, ut vel jussu vel permissu ipsius ex officina hic monetaria prodiret nummus argenteus uncialis (Reichsthaler) anno 1538. cusus, qui & bonitate & antiquitate suâ (nam haud scio, an ullus eo reperiatur vetustior in hac Provinciâ) æstimabilis, præter nomen & insignia Ducis *Alberti* ab alterutra parte refert hanc Epigraphen: *Moneta nova Civitatis*
(α) *Güstroviensis* (α). Nec possum, quin id obiter hic attingam, a nonnullis magni pretii Scriptoribus perperam huic Duci *Alberto formoso* tribui, quod *Comitatum Suerinensem* recuperaverit & ejusmodi titulum cæteris adjectum primus usurpaverit, cùm satius tamen constet, hæc talia tritavo ipsius *Alberto I.* hujusque filio *Alberto II.* Regi Sueciæ circa ann. Christi 1357.
(β) fuisse tribuenda (β).

(α) Confer. Remarqv. Hamburg. 1704. pag. 65. & 73. ubi tamen est, quod in data *Alberti* Historia vel desideres vel emendatum cupias.

(β) Ap-

(β) Apparet insignis hic error in quibusdam ævi nostri Scriptoribus, qui de Rebus Mecclenburg. aliquid consignarunt, nec *Albertorum* nomina, in Ducibus Mecclenburgicis frequentia, nec tempora probe distinxerunt; corrigendus autem ex M. Bernhard. Hederici Chronic. Suerinens. & Chemnit. Epitome Genealogico-Historicâ MSc. nec non ex D. Nicolai Maresch. Annalibus, qui in hoc *Alberto* formoso ejusque fratre *Henrico Pacifico* terminantur.

§. VIII.

Güstrovia crudis Ecclesiastica novum poscit instauratorem Evangelii purioris.

Purioris quidem doctrinæ semina sparsa erant Güstroviæ, illo quo dictum est modo; at ob infelix, quod restabat, lolium non satis feliciter succrescere potuerunt enatæ segetes: namque cacodæmonis malitiâ & Canonicorum hic cathedralium insultibus, nec non optimatium in Civitate quorundam falso conceptis opinionibus contigit, ut sacra profanis & mala plurima bonis miscerentur, ut veri Pastores multum damni ac molestiæ paterentur ab insidiantibus lupis. Vehementer conquesti sunt illud, qui Anno 1541. ex voluntate Ducis *Henrici Pacifici* Visitationem Ecclesiasticam hic peregére: *Johannes Ribelingius* Pastor & Superintendens Parchimensis; *Court Pentz* Consiliarius Principis; & *M. Simon Leopold* Secretarius; *fatentes, se in aliis civitatibus non reperisse tantam*

reli-

religiosi cultus ἀταξίαν, *quantam hic Güstrovia* (a). Novo igitur opus fuit instauratore ac purgatore. Nec quisquam reputatus est eo tempore habilior, quam *M. Gerardus Oemichius* (Oemicke) Chamâ Westphalus, Theologus, uti multis antea locis, ita novissime in Aula Suerinensi longe celebratissimus. Hunc virum gloriæ DEI propagandæ studio flagrantissimum misit Gustroviam *Henricus Pacificus*, consentiente *Johanne Alberto* patrueli, cujus fuerat concionator aulicus, anno 1547. quadragesimali tempore, ut Præpositi ac Superintendentis officio hic fungeretur. Sed ejusmodi Præposito Pontificius coetus, quod jurarem, libentius caruisset, namque inviti eum receperunt: quem quod maritus esset clam aspernabantur. Cum enim septimanà Paschæ ferias proxime antecedente catervatim de more statuas, vexilla ac nescio quæ fere ludicra, ad spectaculum in cœmeterio circum circa templum ferrent, graviter eos objurgans ab idololatrico proposito, quasi attonitos dimovit, rem totam christianissimo Duci *Johanni Alberto* perscribens, a quo literas facile impetrabat, ut & pulsare, diurnas nocturnasque horas superstitiose canere, aut quicquam deinceps agere religioni nostræ contrarium, serio vetarentur. Idque apud clementissimum

M. Gerardus Oemichius. Güstroviensium Præpositus ac primus Superintendens ab Ann. 1547.

mum Ducem pari felicitate obtinuit, ut, qui in hac impietate diem suum obirent, in loco ad christianam sepulturam destinato, non humarentur, sed absque piis cantionibus, absque campanarum querelis, absque hominum, qui se Christo soli devovissent, deductionibus in agrum seu aream cadaveribus plenam efferrentur, & nescio a quo defoderentur. Templi autem reditibus peculiarem, honestum ac bonum hominem præfecit, qui eos colligeret, ut inde Parochialis Ecclesiæ ministris ac scholæ oppidanæ moderatoribus stipendia justa solverentur. Prius enim merces a civibus fuerat conferenda, tamque exiguam & in templo & in schola DEO servientes consequebantur, ut partim nocturnis operibus ac mechanicis artibus victum sibi comparare Ludimagistri cogerentur. Scholæ oppidanæ s. Parochiali vix bini, plerumque unus, præfuerant pædagogi, singulis vix decem vel quindecim florenos stipendio annuo ferentibus. Ad tantam tenuitatem opulentia papalis reciderat. Interea autem Papæ collegium apud Güstrovienses prorsus desiit: nam renitentes Canonici fere omnes subduxerunt sese melioribus rebus, ut in permultos annos templum Cæcilianum & totum Collegium Canonicorum vacaret. Cum vero intra urbem ita

rem Ecclesiasticam bene constituisset ac ordinasset Oemichius, jussus est extra candem in aliis quoque civitatibus, pagis & ubicunque opus fuit, eadem peragere: passim igitur ordinavit verbi divini ministros Ecclesiisque instauratis præfecit. Ejusmodi negotiis sacris per integros XV. annos strenue occupatus *M. Gerardus Oemichius* ad summam hic pervenit senectutem; munere autem suo se abdicare noluit propter hostium injurias ac maledicentiam, etiamsi apud Clementissimos Principes, ut rude donaretur, facile impetrasset, sed rhedâ ad templum vectus, & in currum, peregre cum esset proficiscendum, aliquoties portatus officium suum nihilominus exsequi voluit, donec anno 1562. d. 25. Mart. diem obiret supremum, sepultus Güstroviæ in æde parochiali infra cathedram Eccles. ubi adhuc Monumentum hujus Theologi seu Epitaphium contra suggestum cernitur. Quod antequam subnectatur, paucula de tanti Viri vitâ præclarissimisque meritis, e schedis antiquis residua, præmittemus, eâdem, qua accepimus, fide iisdemque, (β) quæ supersunt, verbis relata relaturi (β). Natus est *Gerardus Oemichius* loco Westphaliæ fertilissimo in oppido *Chama* sub Duce Juliacensi. Patrem habuit ex antiquissima Oemichiorum familia, militari

for-

fortitudine ac peritia conspicuum inque literis LL. præsertim ac totius Jurisscientiæ non ineruditum. Unde factum est, ut ipsi ardua difficilisque judiciorum forensium administratio (ad quam doctrina atque ingenium requiritur) per magnam Westphaliæ partem soli committeretur: Cui tamen provinciæ forensique gubernationi non admodum diu præfuit. Caballum nempe ferociorem, cui insidebat, aquatum ducens, in stagno profundiori, milliaris ferme intervallo ab oppido *Chama* submersus exspiravit: Atque ita afflictissima conjux miserandique liberi paulo ante tertiam hæreditatis paternæ domusque conflagrationem perpessi, omnibusque rebus aliis, quæ homini in vita carissimæ esse possunt, infando cum dolore privati, patre etiam immature nimium orbati sunt. Mater Liberorum ex familia nobili honestissima Matrona a carissimi mariti obitu alii ex nobilitate iterum nupsit, non levitate quâdam muliebri, sed gravi consilio suorumque conspicua auctoritate ac ipsius tristissimi status rerum omnium meditatione adducta. Filius autem *Gerardus* primum in Rostochiensem Academiam missus ad D. *Leonem* Medicum se contulit, parumque abfuit, quin illo studio caperetur; sed parentum obtinebat religio, ut sacrarum

rerum studia longe anteferret. Postea Wittebergam demigravit, amore D. *Lutheri* & *Philippi Melanchthonis* allectus. Quin etiam Luthero plurimum usus est, mutuusque inter ipsos amor animorumque consensio perpetua mansit, cujus suasu ac consilio Witteberga *Lemgoviam* concessit Gerardus Oemichius, docendi causa: ibidemque crebra adversus Anabaptistas certamina sustinuit. Postea Superintendentis dignitas ipsi *Susati* oblata est: ubi *præcipua Religionis nostræ capita* rogatu Senatus scripto comprehensa, publice emisit, ut omnia in Ecclesia rite peragerentur, ac uno quasi ore, quod utilissimum esset, Ministri verbi puram Evangelii doctrinam vulgó proponerent. Istâ Ecclesiâ mediocriter jam constitutâ armata manu, ne qui in insidiis essent, *Mindam* abductus est sub noctem, ut Superintendentis Pastorisque munus obiret. Hanc spartam nactus anno 1537. Articulis Smalcaldicis suâ etiam manu subscripsit, uti videre est in Concordiæ Libro pag. 339. ubi *Gerardus Oemiken* (non Oeniken typographorum vitio). Superintendens Ecclesiæ Mindensis audit. Tum acriter in Papicolarum abusus invectus, præfractos homines anathemate percussit; qui vero vitæ ipsius insidiantes poculum mortis præpararunt, sed DEUS ejusmodi in-

insidiis Virum eripuit. Nam inde a *D. Urbano Regio* tanquam peculiari ipsi misso divinitus Angelo ad Ecclesiæ Luneburgensis gubernationem est accersitus atque sic de Pontificiorum colluvie, extrema ipsi interminantium, avocatus Anno circ. 1540. Hic in intimam *Francisci* Ducis familiaritatem pervenit, coram quo vel quotidie verba facere e sacris literis jussus est, hac liberali promissione annexâ, mille se ipsi florenos clementer donaturum, si, quoad viveret, non esset alio migraturus. Sed gloriæ DEI propagandæ studio ac animarum Christo lucrandarum amore impulsus tandem ad *Duces Megapolenses* pervenit, iisque ministerium ejus expetentibus obtemperavit, invito quidem *Francisco* Luneburgensium Principe, at consentiente tandem & egregium ipsi testimonium impertiente. In Megapolia vero Illustriss. Ducis *Johannis Alberti* primum concionator Aulicus fuit: deinde ad Superintendentis ac Præpositi fastigium apud *Güstrovienses* evectus est, cui officio ab Anno 1547. usque ad 1562. laudabiliter præfuit. Symbolo sibi delegerat:

Maxima sit quamvis tempestas, frigus & imbres:
Crede mihi, cœlum postea phœbus erit.

Superstites ipsi fuerunt filii duo *Franciscus* & *Johannes*: quorum ille Melanchthone usus Præceptore in Academia Wittebergensi, postea Gymnasio Güstroviensi Rector præfuit summa cum laude per multos annos; hic vero, antequam præmaturo defungeretur fato, non minus Wittebergæ operam dedit literis & Ann. 1568. in Obitum beati Patris edidit *Parentationem D. Andreæ Mylio, Johannis Alberti* Ducis Meclenb. Consiliario dedicatam, quem & suum & pupillorum orphanorumque omnium Parentem prædicat. Idem & perpetuæ beati Parentis memoriæ consecravit Epitaphium, quod hodiernum in templo Parochiali in tabula emblematicâ suggestui è regione adversâ conspicitur (γ), inque Scriptis Acad. Rostoch. publicis de Anno 1562. pag. 147. occurrit.

(γ)

(α) Argumento sunt ex Articulis Visitat. Ann. 1541. auctoritate Ducis *Henrici* Pacifici Güstroviæ exhibitis hæc, quæ sequuntur, verba: Dieweil das H. Wort GOttes klar und helle zu Güstrow (GOtt sey Lob / Ehr und Danck) gepredigt wird / ist S. F. G. gnädiges und gütliches Begehren / daß sie als die Fürnehmsten sammt der Gemeine die Warheit lieben und folgen wolten / ein gut Exempel stets den Ihren und Fremden geben / betrachtende / wieviel aus fremden Oertern sie besuchen in Tage-

Leistungen / Rechts-Tagen und anderer Ursachen halber / die nicht wenig geärgert und betrübet werden / daß sie als die Fürnehmsten dieser Stadt in der Religion so zwislig seyn / noch das ewige Wort / noch den rechten Brauch der Sacramenten lieben und gebrauchen. Ist derohalben S. F. G. gnädiges Erfürdern und Christlich Vermahnen / sie wollen beherzigen / was die Warheit sey und der folgen / alle unchristliche Ceremonien / die man hier hält / und andere Mißbräuche meiden / einträchtiglich sammt der gantzen Gemeine dem HErrn Christo dienen / wie es in allen Städten dieses löblichen Landes geschicht. Daran thun sie GOtt einen angenehmen Dienst / und S. F. G. höchsten Gefallen / die sammt ihnen in der Warheit durch GOttes Hülffe biß an sein Ende bleiben und verharren will. &c. &c. Wiewohl fast in keiner Stadt eine solche Unordnung / den Gottesdienst belangend / befunden ist worden / als in dieser Stadt / so hat doch E. E. Rath zuletzt sich erboten / sie wollen den Articuln / wie ob erzehlet / allenthalben gehorsamlich nachkommen. &c. Debemus hæc Archivo templi Cathedralis Güstrov. benevolè nobiscum communicante Viro præ-nobilissimo D. Joach. Schuckmanno p. t. Visitationis Secretario.

(β) Quæ hic de M. Gerardo Oemichio commemoravimus, excerpta ex Orat. funebri M. Johannis Oemichii filii anno 1568. edita habet Vir summè Rever. ac Præ-nobilissimus *D. Lucas Schröderus*, haud ita pri-

dem Güstroviensium Presbyter, modo Stralsundensium Superintendens meritissimus, qui cum alia multa, tum hæc præsertim e scriniis suis in supplementum Historiæ patriæ suppeditare non est gravatus.

(y) Monumento isti Oemichiano inscripta leguntur sequentia:

Epitaphium Reverendi Viri D. Gerardi Oemichii, Superintendentis Ecclesiarum Megalburgensium.

Dona DEI sunt summa Viri, qui dogmata sacra
Spargunt, conversasque trahunt ad sidera mentes.
Namque DEI soboles, dextræ quæ Patris adhæret,
Doctores sancti dono Spiraminis unctos
Excitat, & patriâ semper bonitate tuetur.
Tale *Gerardus* erat divinæ laudis in orbe
Organon *Oemichius*: quem *VVestphalis* edidit ora,
Hic ubi *Chama* tuas vicina *Tremonia* turres
Suspicit, & Phœbi doctos miratur alumnos.
Hic puer ex patriis ad Balthica littora terris
Cessit, ubi *Schola* dulce *Rosa* cognomen adepta
Floret, & *Albiacas* illinc digressus ad undas,
Dive *Luthere* tuo cygneum carmen ab ore
Dependens crebro audivit: te principe claras
Lemgovia sedes Doctor post sidus adivit,
Atque Evangelii purum diffundere lumen
Cœpit, & errores fido monstrare labore.

In-

Inde *Susatensem* venit novus hospes in urbem,
Doctrinæque illic puræ sacra semina spargens,
Erudiit populos & certos ordine ritus
Constituit, quorum scriptus monumenta libellus
Continet, hoc nostro celebris qui permanet ævo.
Post quoq; *Mindenses* docuit, *Dux optime* donec
Francisce, a Luna es qui clarum nomen adeptus,
Inspectoris ei mandasti nobile munus,
In sedis ditione tuæ. Tunc *Regius* illi
Urbanus collega fuit, carissimus ipsi
Et Christo & populis doctor. Post inclytus Heros
Dux *Meglaburgensis* Princeps *Henricus* in oris,
Dux & *Johannes Alberti* nomine clarus,
Præfecere illum reliquis Pastoribus, acris
Ut Superintendens Christi observaret ovile.
Hoc jam quindecimum bene munere functus in annum
Consiliis & voce sua scriptisque disertis
Profuit assidue populo reliquisque ministris.
Exemplumque typusque fuit pietatis, & omni
Virtutum studio caro præluxit ovili,
His placide tandem donec discessit ab oris
Ad cœli proceres sanctos, ubi maxime *Christe*
Alloquio vultuque tuo sine fine fruetur.
Corpus in hoc tumulo, quod erat mortale, quiescit,
Filius ipse DEI donec clangore tubarum
Rursus id ad superos revocet, sedemque perennem

Efficiat parti æthereæ cœloque receptum,
Exornet vitæ gemmis radiante corona.

Decessit d. XXV. Mart. A. 1562.

Johannes Oomichius F. F.

§. IX.

Johannis Alberti I. atque Ulrici Ducum temporibus feliciter succedunt omnia in Ecclesia ac Politia reformata.

A morte *Alberti* Principis Senior Dux *Henricus* Pacificus itemque junior *Johannes Albertus* Alberti illius filius, nihil quicquam habuere sanctius, quam ut tandem tolleretur, quicquid sufflaminaret adhuc renati Evangelii cursum: propterea anno 1550. Sternbergæ indixerunt Conventum Provincialem, in quo communicatis cum universa Nobilitate & omnibus Reip. ordinibus consiliis de repudiandis penitus ceremoniis papalibus deque asserenda & propaganda veritatis Evangelicæ puritate per omnem terram Mecleburgicam, actum & transactum fuit. vid. Chytr. Orat. funebr. in Obitum Ducis Henrici Pacifici pag. 111. Non multo post moritur *Henricus* Dux Ann. 1552. d. VI. Febr. Pater patriæ vere dictus, cum duodequinquaginta annos reipublicæ sapienter & feliciter præfuisset, senex LXXIII. annorum, votique sui omnino particeps factus: cum enim tranquillam beatamque senectutem assidue sibi cum Rege Davide exoptasset a DEO, inque

pri-

primis e Ps. LXXI. 9. 18. *ne in canitie sua unquam desereretur*, identidem orasset, id id ipsum & exoravit a DEO suo, placidissimum vitæ exitum nactus. Cujus ditionem & reliquam hæreditatem universam occupavit *Johannes Albertus I*, quod relictus *Henrico* Pacifico filius minor natu *Philippus* non videretur oneri ejusmodi esse ferendo par, major autem natu Magnus (ob eruditionis gloriam (*a*) merito magni faciendus) Episcopus Suerinensis jam ante Patrem improlis decessisset Ann. 1550. *Johannes* igitur *Albertus* rerum potitus, priusquam dispertire juberetur cum fratre *Ulrico* has terras, duo maxima & heroico ac Christiano Principe dignissima opera simul fere suscepit. Cum enim sub Patris Pontificiam religionem sequentis gubernatione passim in illa Ducatus parte Ecclesiæ negligenter constitutæ, & Coenobia imprimis omnia & quædam Canonicorum collegia abusus Pontificios hactenus retinuissent, certam formam doctrinæ, rituum & totius gubernationis Ecclesiasticæ scripto comprehendi (Kirchen-Ordnung) a qua velut communi norma in harum regionum Ecclesiis docentes pariter omnes uterentur: & visitari ac inspici Ecclesias per delectos ex Consiliariis & Theologis (general Kirchen-Visitation) & formam (*a*)
illam

illam doctrinæ ac rituum æquabilem ubique instituti & pastorum ac populi doctrinam & mores explorari, & reditus ac ædificia Ecclesiarum conservari & restitui curavit. Quod pium & salutare opus *Güstroviæ* inchoatum, & *Malchini*, *Neobrundenburgi* & aliis locis eâ æstate anni 1552. confectum est, commemorante Chytræo in Chronic. Saxon. ad Ann. 1552. mihi Part. III. pag. 38. seqq. Huic Visitationis Ecclesiasticæ negotio tum præesse jubebantur *D. Johannes Aurifaber* Profess. Rostoch. *Lic. Johannes Lucanus* Cancellarius Mecleburg. *Johannes Ribelingius* Superintendens & Pastor Parchim. *M. Simon Leopoldus* Secretarius, aliique. Hoc pacto in Monasteriis atque Collegiis quicquid reliquum erat fermenti pontificii, tandem expurgatum fuit: accurate enim omnia ad præscriptam normam & formam ordinationis Ecclesiasticæ (Kirchen-Ordnung) exigebantur in doctrina, ritibus ac moribus, nec amplius toleratus fuit quisquam in Ecclesiis hisce Meclenburgicis, qui saniora ac meliora respuisset consilia. Unde accidit, ut Güstroviæ, quotquot præfuere Collegio Cæciliano, Canonici loco aufugerent, ideoque templum ipsorum cathedrale vacuefactum multosque per annos neglectum, non profanis modo usibus cederet (man machte

Güstroviæ Collegium Canonicorum sponte sua cessat.

te

te ein Wagenschaur draus) sed & imbribus tempestatibusque exesum vitium faceret & pene totum corrueret, Marianâ interim s. Parochiali æde melioribus sacris feliciter instauratâ, auctâ, amplificatâ. Laute hic habitaverant Canonici Cæciliani per trecentos, iisque amplius, annos & sat opima sibi paraverant prædia, opibus tandem potiores, quam Evangelio. Collegium illud olim à majoribus consecratum fuerat sacris literis bonisque artibus, ut seminarium esset veræ Ecclesiæ reique publicæ, ut esset asceterium virtutis, quo juventus in studio pietatis ac Eruditionis Christianæ exerceretur; at invalescente Papatu in deterius abierant omnia. Canonicorum τὸ ἄλφα fuit *Præpositus* quidam, plerumque nobili, nonnunquam illustri genere natus, ipse cum clero suo Camminensi Pomeranorum Diœcesi subjectus (β).

(α) Hic Magnus Princeps vere magnus fuit ingenio atque doctrina, & illa ætate Principum eruditorum facile princeps habitus. Ipsum anno 1530. in Comitiis Augustanis coram Cæsare Carolo V. & Rege Ferdinando cæterisque Imperii Principibus publice ac memoriter recitasse orationem & latino & germanico idiomate tanta oris ac ingenii commendatione, ut Cæsar non admiraretur modo, sed & tandem

post-

(β)

postea repetendam cuperet, *Chemnitius* auctor est in Epitome Genealogico-Historica. Et tertio post anno cum Legati Rom. Pontificis *Clementis* & Imperatoris *Caroli* deliberata utriusque de Synodo congreganda ad Johannem Fridericum Saxoniæ Ducem Electorem & cæteros deferrent, hos Vinariæ appropinquantes idem *Magnus* latina oratione mense Julio anno 1533. excepisse legitur apud Chytr. Chron. Saxon. Lib. IX. pag 208. edit. vet. Idem Chytræus alibi *Magnum* Principem omnium, qui eo tempore in Germania vixerunt, literatissimum appellat, atque mentionem facit *centum Epistolarum*, quas propria ipse manu; plerasque latinas, ad Conradum Pegelium magistrum olim studiorum ipsius exaraverit, sibique in promtu esse ait. Confer. Chytr. Orat. funebr. in Elisabeth. prius *Magni* hujus, post *Ulrici* Ducis nostri conjugem habit. Güstroviæ 1586. d. 23. Nov. Dolendum vero, ejusmodi *Illustrium Epistolarum* fasciculum *ἀνέκδοτον*, nec dum lucem conspicere publicam potuisse. Hunc *Magnum* Principem magno etiam Emendationis Ecclesiasticæ studio flagrasse, præsertim in Diœcesi, cui Episcopus præerat, Suerinensi, proptereaque *Johannis Friderici* Electoris Saxon. amitini sui consilium A. 1538. implorasse, patet ex Seckendorff. Histor. Luther. Lib. III. Sect. 17. §. 66. n. 16. Quanti & hunc Principem fecerit Philippus Melanchthon, Epistola ipsius quædam ad Eundem data atque inter cæteras a Peucero editas pag. 169. conspicua testatur, ut adeo *Magnus* no-

noster inter doctiores Germaniæ Principes non immerito principem reperisse locum videatur.

(β) Subjungemus hic, ne quid desideretur in Personarum monumentis, Præpositorum Collegii Canonici Güstrov. à tempore fundationis, si non omnium, tamen plerorumque nomina, &, quibus innotuere, tempora:

Theodoricus. 1237. 1264.

Godofredus. 1282. 1293.

qui moriturus conscripto Testamento inter alia legasse & commendasse perhibetur Canonicis suis integra Biblia MSc. V. voluminibus.

Henricus, Dei gratia 1297. 1303. 1306. 1319.

Borchardus. 1320.

qui antea Principis Johannis III. Herulani Diaconus (Capellan) fuisse memoratur.

Hermannus de VVampen. 1361. 1362.

Gerardus de Strüncken. 1369.

Gerardus de Bengerstörp. 1382.

qui fuerat Ann. 1374. Præpositus in Cœnobio Dobbertinensi.

Johannes de Bülow. 1388. 1392.

Arnoldus de Sverstörp. 1397.

VVilhelmus, Dei gratia, Princeps Venedorum. 1401. -- 1421.

qui familiæ suæ & Reipublicæ consulturus tandem abdicavit se Canonicatu & Cœlibatu.

Hermannus de Plüskow. 1430.

Matthias VVeltzin. 1438.

Nicolaus Mund. 1458.

Johan-

Johannes Mileke, Decretal. Doctor. 1468. 1480. 1492.

Zutpheldus VVardenberg. Decretal. Doctor. 1519. 1525.

M. Johannes Veersen. 1547.

M. Gerardus Oemichius, Lutheranus, qui in Protocollo Visitat. Eccles. de Anno 1553. expresse vocatur Præpositus Cathedralis (Dom-Probst.) Et ab hoc tempore ista hæc dignitas collata est Superintendentibus Güstroviensibus, cessante *Præpositi* titulo.

§. X.

Emendatio Judiciorum rerumque forensium opera Johannis Lucani JCti celeberrimi.

Post Ecclesiarum ejusmodi Emendationem imprimis etiam sanctæ Justitiæ habebatur ratio, quæ & ipsa in meliorem redigenda erat statum. Hic vero Principes nostri maxime usi sunt operâ *Johannis Lucani* JCti & Cancellarii Meclenburgici, dum vivebat, longe celeberrimi; cujus de præclaris in Ecclesiam & Politiam meritis D. Chytræus peculiarem Orationem conscripsit, quæ in volumine ipsius Orationum reperitur p. 233. Vir iste celeberrimus, ob insignem, quâ polluit, prudentiam, adhibitus etiam est in rebus Ecclesiasticis ordinandis, uti superius dictum. Per hunc virum Provincialis Curia (das Mecklenburgische Land- und Hof-Gericht) in his terris ita est instaurata atque constituta, ut statis quibusdam temporibus vel singulis anni

ni quadrantibus *solennitas* quædam *juridica* (Die öffentliche Quartal-Gerichte und Rechts-Tage) haberetur, cujusmodi antea vix toto sexennio semel haberi consueverat. Confer. Chytr. Orat. de Johanne Lucano pag. 244. 249. Quæ constitutio egregia hoc quoque ornamentum *Güstroviæ* dedit, ut hic æque ac Suerini bis anno quolibet vertente jus diceretur in publica & frequenti omnium πανηγύρει. Solebant hæc cum publica tum extraordinaria judicia in Curia nostra oppidana exerceri, quibus & ipse Princeps noster *Ulricus* b. m. nunquam, quoad vixit, interesse vel potius præesse noluit, quippe qui justitiæ ac bonarum legum fuit observantissimus. (*) Post cujus decessum sequiori ævo celebritas illa juridica paulatim hic languescere cœpit, donec tandem plane exspiraret, præsertim cum jussu & auctoritate Principum nepotum anno 1622. *Sterne bergam*, & hinc anno 1667. *Parchimum Tribunal provinciale-aulicum* transfertur, ubi adhuc Consul Güstroviensis inter extraordinarios, quos partim equestris ordo, partim civitates primariæ mittere solent, Assessores locum habet, quoties πανήγυρις quædam juridica singulis anni quadrantibus more majorum celebratur. Veteris autem istius solennitatis memoria

(*)

qualiscunque restat in Curia nostra, ubi hodienum pictura quædam eleganti penicillo elaborata vivis quasi coloribus Principis olim & omnium Ordinum consessum forensem coram supremo Judice spectandum exhibet. Sed de alio, quod Güstroviensibus accidit, ornamento nunc quoque dicendum erit: composito inter Duces *Johannem Albertum* atque *Ulricum* fratres dissidio, quod de partiendo Ducatu intercesserat, quodque anno 1554. exitiale huic regioni bellum minabatur, eo tandem res rediit amicâ nonnullorum transactione, ut patriâ terrâ ex æquo dispartitâ *Johannes Albertus* Suerini, *Ulricus* vero Güstroviæ sedem Ducalem figeret, & in suo quisque territorio jurisdictionem propriam absolutamque potestatem obtineret. Chytr. Saxon. ad ann. 1554. & 1556. Bernh. Hederici Chron. Suerinens. ad ann. 1554. 1556. Ab eo igitur tempore pristina Güstroviæ sua rediit gloria, atque ita rediit, ut eadem urbs, quæ olim per ducentos, iisque amplius, annos hospitium præbuerat illustriss. Herulanæ familiæ Principibus, interjecto aliquo spatio nunc Serenissimos Meclenburgensium Duces ad se alliceret, qui rursus stabilem hic sedem certumque domicilium capesserent ad novissima usque tempora.

Ulricus Dux Mecleb. sedem Ducalem Güstroviæ fixit ab Anno 1556.

(*) Vi-

(*) Vidimus ipsi (tradit Joh. Simonius Professor Eloquentiæ olim Rostoch. in Parentatione Ulricianâ, recit. d. 28. April. 1603.) Principem ei, in quo totius reipublicæ negotia forensia aguntur, & statis anni partibus summâ cum industria tractantur, judicio toto sui Magistratûs tempore, ingravescente etiam ætate, nisi morbus ipsum graviter impediret, præesse: vidimus, quam inculpate alteram aurem reo integram servaret, quam regie querelas audiret, quantopere sycophantas, calumniatores & adulatores, auribus omnia dantes, detestaretur: quam graviter de effrenata hujus seculi audacia conquereretur, vidimus & audivimus ipsi. &c.

§. XI.

In Principe autem *Ulrico* ea vidimus bona, quæ tacere omnino foret nefas. Fuerat idem Episcopus Suerinensis ab anno 1550. cujusmodi administrationem nonquidem deposuit, cum ad Ducatum Güstroviensem regendum accederet, domicilii vero locum mutavit, translata de Bützoviâ Güstroviam sede, postquam cum *Elisabetha* Danica anno 1556. auspicatum inivisset conjugium. Vix autem pedem huc intulerat Dux *Ulricus*, cum arx Ducalis nostra anno 1557. illâ, quæ Orientem spectat, parte, nescio quo casu, flammas conciperet funditusque deflagraret absente tum Principe Serenissimo inque Misniam

Güstrovia ornamenta, ab Ulrico Duce olim profecta.

Arx Güstroviensis patitur incendium. A. 1557.

professo: quæ tamen paulo post nitidius ab ipso reduce instaurata, & insuper Sacello, quod etiamnum Evangelii cœlestis præconio personat, aucta exornataque est: quod & in reliquis ejus, quæ obsoletæ viderentur, partibus ita factum est. Eodem 1557. anno Principes *Johannes Albertus* atque *Ulricus* mutuis consiliis conjunctisque animis Constitutiones Ecclesiasticas (Kirchen-Ordnung) ante quinquennium solius *Johannis Alberti* Ducis nomine publicatas denuo sub incudem revocarunt (a) & ad istiusmodi normam cum universas Ecclesias suas, tum maxime Cœnobia exactius visitanda curarunt. Plurimum vero negotii Visitatoribus facessiverunt Moniales Dobbertinenses Benedictini Ordinis, quæ sæpius admonitæ objurgatæque, vix demum puram Evangelii prædicationem legitimumque Sacramentorum usum admittere voluerunt. Sacro isti negotio tum præesse jubebantur Theologi *M. Gerardus Oemichius* Præpositus Güstroviensis, *D. Tilemannus Hesbusius*, & *D. Georgius Venetus* Theol. Professores Rostochienses, *M. Georgius Ryke* Presbyter Rostochiensis; Politici *Christophorus Linstow*, *Christophorus Hane* & *M. Simon Leopold* Secretarius. Commemoratum est paulo superius, Canonicos etiam

(a)

Güstro-

Güstrovienses obstinato animo abhorruisse à sanioribus consiliis melioribusque sacris, quapropter collegium atque templum ipsorum vacuefactum cesserit profanis abusibus, ac multa tandem dederit signa fatalis ruinæ. Hæc secum animo revolvens *Ulricus* Princeps, ut erat religiosus, non committendum putavit, ut prisca hæc pietatis monumenta Ecclesiæque ornamenta, quæ tantis exædificassent sumtibus majores sui, quæque DEO ac rebus divinis iisdem summo studio olim consecrassent, nunc tandem in contemtum purioris Evangelii conciderent, funditusque corruerent. Cum vero sat gravibus reipubl. stabiliendæ negotiis animus tanti Principis distineretur, mascule is adjutus est à Serenissima Conjuge *Elisabetha*, Friderici I. Dan. Regis filia, quæ hanc operam & curam inprimis sibi sumsit, ut sarta tecta restituerentur templa, cœnobia, scholæ, Xenodochia. Vel hodienum id ipsum loquuntur obviæ passim inscriptiones compluribus palatiorum, quæ vel instauravit, vel condidit, vel expolivit, vel reditibus donavit auxitque *Elisabetha* munificentissima: quippe quæ nec locum facile reliquit in omni Provincia Megapolitana, in quo non aliquod bonitatis & beneficentiæ suæ vestigium impresserit. Adhuc Dobe-

rani, Dobertini, Rhünæ, Bützoviæ, Griphismolæ, Graboviæ, Stargardiæ, Stavenhagæ, monumenta *Elisabethana* occurrunt. In primis autem *Güstroviæ*, ubi Templum D. Cæciliæ olim sacrum, plane desertum, & horrei horridi instar curribus tantum reponendis aliisque impedimentis destinatum, rursus sumtuose & splendide instauravit, melioribusque, quam olim, sacris accommodavit, & tum aliis ornamentis, tum vero Sereniss. Principum Mecleburgensium Genealogia artificiosissime decorari, prætereaque Mausolæum & sibi & marito supra modum magnifice exornari voluit marmoreis, iisque magna arte confectis, monumentis, quæ in hunc usque diem supersunt & tantorum Principum faciem ac staturam accurate exprimunt. Inchoavit hoc opus Ann. 1565. consummavit 1568. jussitque sacris ceremoniis initiari die Dominica, quæ tum fuit a Circumcisionis festo proxima (β). Tum primus in hac æde reparata præco Lutheranus fuit *M. Henricus Piperites*, Hamelensis, e Mariano s. Parochiali Güstroviensium coetu huc translatus, cui collega datus *Christophorus Mageirus* (Koch) Stendaliensis. Ab hoc quoque tempore Superintendens Güstroviensis, qui Ann. 1562. in locum demortui Gerardi Oemichii suffectus, D.

Templi nostri Cathedralis s. Cæciliani instauratio A. 1565. sqq.

(β)

Con-

Conradus Beker à Parochiali Ecclesia, cui sexennium præfuerat, evocatus, ordinarie quidem in templo cathedrali officio sacro fungi cœpit, extraordinarie tamen in Parochiali etiam statis quibusdam festis diebus verba facere sacra consuevit, quod inde ad nostram usque ætatem ita usurpatum cernimus à Superintendentibus nostris.

(u) De constitutionibus seu ordinationibus Ecclesiasticis (vulgo Mecklenb. Kirchen-Ordnungen) sciendum, earum quatuor Editiones hactenus reperiri: *Prima*, eaque antiquissima A. 1552. a Philippo Melanchthone est confecta, & solo *Johannis Alberti I.* Ducis Mecklenb. nomine publicata. Cujus Præfatio etiam novissimæ Editioni est tertio loco præfixa, Ducis Johannis Alberti nomine non expresso. *Altera* Editio ab utroque Principe *Johanne Alberto* atque *Ulrico* paribus auspiciis rempublicam regentibus Ann. {1557. / 1550.} est promulgata, quæ & Idiomate Saxon. inferioris (Platt-Deutsch) Rostochii prodiit, quæque in latinum conversa a Johanne Fredero & anno 1562. Francofurti excusa est. *Tertia* Editio Ducis *Ulrici* jussu a Chytræo, Bacmeistero seniore, Fredero juniore, Lobechio, VVigando Theologis magnam partem auctior prodiit 1602. De qua ita Lobechius in Parentatione Ulriciana: *Hinc factum, quod Ordinationem Ecclesiasticam ante annos quadraginta a fratre*

Johanne Alberto & se promulgatam propter κυβείαν καὶ πανουργίαν Crypto-Zwinglianorum quorundam sub ejus clypeo delitescere satagentium, & certamina recentia, sub incudem revocari & revideri Superintendentibus & Theologis injunxerit, revisam cum appendice Calviniana opposita, suo calculo approbarit & approbatam paulo ante mortem Edicto publico promulgarit &c. &c. Præfatio hujus Ulricianæ Editionis reperitur in nostra novissima secundo loco posita. *Quarta*, eaque novissima hactenus, jussu *Adolphi Friderici* f. Ducis gl. m. an. 1650. prodiit indice aucta per M. Henricum Prengerum Superintendentem Parchimensem, qui & auctor est Præfationis sub nomine Ducis Adolphi Friderici præmissæ.

(s) Id quod etiamnum vetus Inscriptio quædam in Templo Cathedrali ab aversa summi altaris parte his verbis loquitur: Nach unsers HErrn und Seligmachers Geburt Anno 1565. hat die Durchl. Fürstin Fraw Elisabeth, gebohrne aus Königlichem Stamme Dännemarck / angefangen diese Thum-Kirche / welche schier gantz verfallen und zu einem wüsten Hause geworden / dem lieben GOtte und seinem heiligen Worte zu Ehren wiederum zu bessern / bauen und renoviren. Und ist die erste Christliche Predigt darin geschehen Anno 1568. Sontags nach dem Neuen Jahr.

§. XII.

Dum Templum istud sic satis nitori suo restitueretur, interea manus etiam admovebantur novæ Scholæ: nam, qui ex ruderibus monasticis superetat, locus scholasticus, nec omnem, quæ ex toto cogebatur oppido, pubem capere, & nimis longe remotus esse videbatur. Cumque nobilissimo hujus urbis Senatui ac civibus, quam propriis olim, sat perexiguis (ut tum fuerant tempora) nec amplius sufficientibus sumtibus aluerant, Scholæ suæ oppidanæ ratio minus minusque probaretur (*), maluerunt & ipsi tandem, ut Princeps curam & Oeconomiam Scholasticam æque in se susciperet, ac in rebus cæteris Ecclesiasticis fecisset, ut scilicet ex opimis Ægypti spoliis Pædagogium cathedrale (Die Thum-Schule) in communem tam urbis quam universæ provinciæ suæ Scholam erigeret atque constitueret. Mos ipsis facile gestus est ab indulgentissimo Principe, qui alium locum proque civitate commodiorem ac propiorem delegit & eundem hunc, qui hodienum frequentatur a juventute Scholastica, quique magnificentissimi Ducis *Ulrici* & regiæ Principis *Elisabethe* insignia in frontispicio refert; Ludum illustrem ædificari, pluribus classibus distingui, idoneis magistris augeri, & redi-

Schola Güstroviensis Reformatio ac Reparatio, ejusdem Ulrici Ducis beneficentia.

(*)

tibus ac stipendiis majoribus dotari jussit atque curavit. Ex quo tempore ludus alter oppidanus hic plane cessavit & omnis res Scholastica ad Pædagogium cathedrale collata est in communem utilitatem. In- vitavit hæc commoditas atque celebritas multos etiam ex Nobilitate viros, qui juventutem suam huic novo Phrontisterio crederent, ut cum civium filiis in pietate ac bonis artibus solide erudirentur. Primus autem ab auspicatis Luther. Reformationis temporibus Scholæ Güstroviensis Rector fuisse traditur *M. Wolffgangus Leopoldus*, Fribergensis Misnicus, antea Principum juniorum Meclebturgensium *Ulrici*, *Christophori* & *Caroli* informator, qui anno 1553. seqq. jam ante instaurationem Ulricianam hic moderatus esse legitur rem Scholasticam: quemque Ann. 1565. pestis tempore demortuum exceperunt unus alterve, donec exiguo post intervallo *M. Franciscus Oemichius* Gerardi Superintendentis filius incideret in ipsa Reparationis Scholasticæ tempora, qui egregius informandæ juventutis artifex, quoad in hoc pulvere vixit (vivere autem desiit Ann. 1591.) fuisse prædicatur.

(*) Confer. quæ superius §. 8. Period. III. de M. G. Oemichii circa Scholam Reformatione narrata dedimus; item quæ in Pra-

Protocollo Visitat. Güstrov. de A. 1541. continentur.

§. XIII.

Nec prætereunda hic est Ptochodochii atque hospitalis ædis reparatio: ruente enim Papatu corruerat hoc quoque contubernium, quod Senatus Güstroviensis, cui tum Jus Patronatus in ejusmodi hospitalia competebat, anno 1561. pro pauperibus miserisque hominibus cœpit instaurare, *aedemque illam Spiritus Sancti* altari, subselliis aliisque necessariis rebus exornare, ita, ut anno 1564. d. 20. Decembr. sacris, iisque repurgatis, ceremoniis initiaretur per Superintendentem Güstroviensem *D. Conradum Beckerum.* Ex quo tempore Hospitalis isthæc Ecclesia recepit suos quoque peculiares Presbyteros s. verbi divini Ministros, quorum primus fuisse perhibetur *Petrus Tidemann*, anno subseqv. 1565. hinc ad ædem parochialem translatus. Huic qui successere ministri, nonnunquam aliis quoque officiis sacris simul functi sunt, etiam extra oppidum, donec nostra demum ætate Sereniss. Princeps *Gustavus Adolphus* jus illud Patronatus circa Hospitalia Permutatione quâdam plane sibi vindicaret anno 1662. itaque paulatim usu veniret, ut non modo Pastor Ecclesiæ

Hospitalis ædis s. Spiritus Sancti reparatio. A. 1561. sqq.

Ho-

Hospitalis reliquis etiam ordinariis Rever. Ministerii Güstroviensis membris accenseretur, sed & Xenodochium hoc magis magisque contiguis habitationibus extenderetur, dum veteribus nova atque commodiora contubernia & hospitia accrescerent. Accessit novissima tandem *ædis istius sacra* reparatio anno 1700. quâ omnes omnino sordes expurgatæ & extraordinariâ personarum quarundam munificentia in melius nitidiusque restituta sunt omnia.

Pestis grassatur. 1565. Cæteroquin idem 1565. annus, quo bina isthæc templa purioribus sacris aptari ac rursus instaurari sunt cœpta, ideo memorabilis quoque est, quod per Provinciam Meclenburgensem, præsertim in primariis urbibus lues epidemia vehementer grassaretur, quæ Güstroviæ, Suerini, Rostochii, maximas edidit strages. Güstroviæ quidem certum extinctorum numerum in tabulas relatum non reperio, qui parcius hic egisse Parcas inde mihi persuadeo, cum nec Serenissimus Dux noster *Ulricus* cum celsiss. familiâ suâ locum mutaverit, quod tamen Sereniss. Frater ipsius *Johannes Albertus* I. facere coactus fuerit, qui relicto Suerino Streliciam tum secessisse perhibetur à Bernhard. Hederico in Chron. Suerinensi ad Ann. 1565. ubi & supra nongentos homines per integrum, quo pestis sævit,

vit, annum periisse relatum legimus. Nullam vero civitatem magis tum afflixit isthæc contagio, quam Rostochiensem, ubi a Festo Pentecostes usque ad Martini plus quam VIII. millia hominum extincta memorantur in Nicolai Grysei Historia Slüteriana. Alii ad novem millia numerum extendunt, & fuisse ibidem pestilitatem tam vehementem tradunt, ut vespillones singulis tumulandis non amplius sufficerent, adeoque amplas capacitatis foveas in Cæmiteriis effoderent, ut complures simul sepelirent, aliquot saltem ad templum viis regiis inter patentia utrinque sepulcra relictis, ita ut per media veluti cadavera in templum esset eundum. Testatur hæc *Henricus Schukmannus*, JCtus & Profess. olim Rostoch. excellentissimus, in Programmate Academ. ad exsequias *Jacobi Heinii* J. U. D. anno 1634. publicato. Jam vero, ut in viam redeamus ad veteriora, appropinquavit tempus, quo Formulæ Concordiæ, ab Orthodoxis Theologis concontextæ, in his atque aliis Germaniæ provinciis solenniter subscribi oportebat. Oblata eadem fuit nostratibus ad subscribendum ann. 1580. nec ipsi dubitaverunt Principes nostri morem gerere Theologis offerentibus, ut suis suo præirent exemplo bonæ confessionis, quid? quod juberentur omnes

Solennis Form. Conc. subscriptio A. 1580.

omnes in universo Ducatu Mecklenburgico Theologi, Presbyteri, Ecclesiarumque ac Scholarum Ministri mente manuque idem præstare, quorum nomina adhuc e Catalogo tum temporis typis vulgato sunt conspicua. Güstroviæ autem subscripserunt secundum ordinem ac tempus receptionis, quo quisque in Ministerium cooptatus fuerat:

M. Henricus Piperites, Cathedral.
Petrus Tidemann, Parochial.
Christophorus Mageirus Cathedral.
M. Henricus Schinckius, Parochial.
Christophorus Möllerus, ad æd. Sp. S.
M. Franciscus Oemickius, Rector Scholæ.

quos longâ serie excipiunt accersiti e civitatulis pagisque vicinioribus Præfecturæ Güstrov. subjectis Ministri verbi divini reliqui numero XXIIX.

§. XIV.

Vicissitudines Mecklenburgica memorabiles ad mortem usque Ulrici Ducis Germaniæ Nestoris.

Cæterum illâ, & quæ ad finem usq; Seculi XVI. secuta est, tempestate, is fuit in Circulo Meckleburg. status, ut vel jurasses, nunquam fuisse, aut fore meliorem feliciorem que, cũ in Ecclesia ac Politia omnia bonis legibus, ordinationibus, statutis temperarentur, & Serenissimi Principes omnibus modis tranquillitati & saluti communi consultum irent.

irent. At, qui ab anno 1560. gliscere cœperunt Rostochii, motus civiles interturbarunt istam felicitatem & multum calamitatis attulerunt, donec intercedentibus provinciæ Ordinibus tandem *Güstrovia* per delectos ex Nobilitate viros anno 1573. die Matthæi, (qui propterea in fastis Rostochiensibus festus habetur) operosâ transactione res componeretur, & rursus anno 1584. novis subortis discordiis alia *Transactio Güstroviensis* prorsus finem imponeret. vid. Lindenberg. Chron. Rostoch. Lib. IV. c. 8. seqq. Interim Suerinenses fato immaturo amiserunt Ducem suum ac Dominum *Johannem Albertum I.* anno 1576. d. 12. Febr. Principem, ut cognomen habet, vere *doctum*, quem juvenem olim (1542.) Academia Francofurtana Rectorem magnificentissimum delegerat, quemque Oratoria facundum, Mathesis ingeniosum, Jurisprudentia politum, Theologia sapientem reddiderat: cujus *Meditatio de morte*, quam conscripsit ipse, posteritas vero in lucem edidit, merito suo in maximis habetur deliciis (α). Reliquit ex *Anna Sophia* Alberti I. Ducis Prussiæ filiâ præter alios, *Johannem* Principem filium propagatorem serenissimæ familiæ: cujus, quod perbrevis vitæ breviorisque regiminis esset, acerbiore fato Anno 1592. universa ingemuit Me- (α)

gapo

gapolis. Lugebat eodem anno suum Episcopum, Principem *Christophorum*, Ulrici nostri fratrem, Raceburgensis terra, qui conscripsit edidítque Tractatum de *veteri Philosophia* (β). Lugebat Güstrovia funus *Elisabetha* regiæ Principis 1586. mense Octobr. defunctæ, ex qua *Ulricus* maritus unicam vidit sobolem *Sophiam*, *Friderico II*. Danorum Regi 1572. nuptam Christiani IV. Regis matrem hodieque regnantis Friderici IV. proaviam. *Ulricus* vero Dux Güstroviensis secundas fecit nuptias cum *Anna* Pomeranica 1588. pariter in hanc civitatem munifica: quæ & exemplum *Elisabetha* nostræ imitata larga manu subministravit inopiæ plurimorum; quæ Oeconomias publicas indigentium studiosorum in Academiis Rostochiensi & Griphiswaldensi annuo dotavit proventu; quæ multos tenuioris fortunæ studiosos complures annos luculenter stipendiis juvit. Cum hac conjuge non minus conjunctissime vixit *Ulricus* Dux noster ad annum usque 1603. qui ipsi d. 14. Mart. fuit emortualis, cum vitæ LXXVI. regiminis autem XLIX. annos complesset, *Nestor Germaniæ* appellatus. Æterna hujus Principis in Rempubl. atque Ecclesiam merita, a multis viris doctis decantata (γ), adhuc in recenti quasi memoria vigent. *Libellus* vero,

(β) (γ)

ro, *quem de summis fidei Christianæ capitibus* omnibus Patribusfamilias præscripsit (*δ*), memoriam ipsius plane reddit immortalem: imo quoties imaginem ejus marmoream contemplamur hic in æde cathedrali ingeniosâ artificis manu ad vivum expressam, vivus quasi adhuc obversari oculis nostris videtur cum utraque Conjuge beat. Ulricus Princeps, quo meliorem postea neminem vidit Güstrovia, licet bonos quidem plures viderit.

(*δ*)

(*α*) Multum temporis tribuit doctissimus ille Princeps piis commentationibus atque lucubrationibus: quicquid enim in Scriptis Patrum & D. Lutheri observatu dignum ipsi videbatur, excerpsit, collegit inque librum congessit justæ molis. Unde *Meditatio de morte* prodiit in lucem: quem Tractatum egregium B. D. Cramerus suo *Mysterio corporis spiritualium beatorum* deinceps inseruisse perhibetur a Christiano Sledano in Concione funebri super obitum D. Martini Chemnitii Cancellarii Slesvicensis habit. & edit. 1620. ubi hæc verba in curriculo vitæ Chemnitii observavi pag. 223. Es forschete der Herr Cantzler (Chemnitius) mit Fleiß von mir (Sledano) ob ich des weyland Hertzogen zu Mecklenb. Herrn Johann Albrechten hochl. And. Meditationem de morte und S. F. G. Gebete von seeliger Vorbereitung zum Tode zuvor gesehen und gelesen hätte? und als ich mit ja antwortete / und sagte / daß ich die

L letzte

jetztgemeldete geistliche Meditationem oder Gebete in D. Crameri Tractatu de Mysterio corporis spiritualium beatorum fürlängst gesehen hätte/ mein GOtt! wie höchlich erfreuete sich der seel. Herr Cantzler. &c. &c. Ejusdem libelli mentionem quoque fecit *D. VVeinrichius in oratione sua de idea boni Principis* habit. Lipsiæ A. 1604. cum Adolphus Fridericus Dux Mecleb. ibi Rector Academiæ crearetur. pag. 48. Et *M. Matthæus Bohemus* in concione funebri, quam defuncto Duci Joh. Alberto anno 1576. Suerini habuit, inter alia hæc commemorat in vitæ ipsius curriculo: Zu dergleichen gottseligen Wercken hat J. F. G. vorgeleichtet das heilige Wort GOttes/ die Schrifften der Propheten und Aposteln/ die Christliche reine/ rechte/ wahre/ unverrückte und aller Welt bekandte Augsburgische Confession anno 1530. Käyser Carolo dem V. von den Chur-Fürsten und Ständen übergeben/ so man die Protestirenden nennet/ und endlich die theuren Schrifften des Mannes GOttes Lutheri. Diese gottselige Schrifften hat S. F. G. selbst gelesen/ mit einem sonderbaren Verstande inne gehabt/ sich darinnen zuweilen Tag und Nacht geübet und gearbeitet/ mit emsigem Schreiben/ lucubriren und commentiren/ dessen man einen schönen Fürsten-Schatz mit seiner Fürstlichen Hand geschriebener Bücher finden wird/ der da weit allem zeitlichen Gut fürgezogen soll werden. Ich habe für meine Person mit grosser Verwunderung und Freuden/ und mit Empfindung/ daß

auch

auch mein armes Elend und Betrübniß dadurch gelindert worden / ein Buch gesehen / welches etliche 100. Blätter gehabt / darinn J. F. G. (o meine gnädige liebe junge Landes-Fürsten / lasset euch diß eine Trost-Lehr / lebendigen Spiegel und väterliche Handleitung zur Gottesfurcht / Liebe und Lehre seines heiligen Wortes seyn) den gantzen heil. Psalter in Lateinischer Sprache / den gantzen Catechismum Lutheri in Lateinischer und Teutscher Sprache / das gantze Evangelium Johannis, die Epistel an die Galater / die drey Epistolas Canonicas Johannis, die Sprüche Salomonis / etliche schöne Gebete prosa & carmine, schöne Lehren vom heiligen Abendmahl und desselben Nutz und Frucht / einen Ausbund schöner Sprüche aus Gottes Wort / schöne locos communes oder Sprüche von den Articuln Christlicher Lehre von GOtt / von der Heil. Dreyfaltigkeit / von der Rechtfertigung für GOTT und Glauben an Christo / von dem lieben Creutz / vom lieben Gebet / in demselben eine schöne Betrachtung des Sterbstündleins / und viel anders mehr / welches ich in so eilender Umschlagung des Buchs nicht habe ersehen können. Dergleichen hat J. F. G. noch anders mehr geschrieben durch Anleitung und Handführung des lieben H. Geistes / welches der Tag mit Ehren wird offenbaren.

(β) M. Conradus Schlusselburg. Superint. Raceburg. in concione funebri super obitum Principis *Christophori* Suerini 1592. d. 25. April. habita & Lübecæ impressa, inter alia

hæc commemorat in curriculo vitæ ipsius Principis: Es waren J. F. G. von Natur beredt/ hatten eine feine memoriam, ein herrlich ingenium und ein scharffsinnig judicium, und hätten etwas stattliches können in den studiis ausrichten / wenn sie nicht in ihrer Fürstl. blühenden Jugend wären allzuzeitig davon genommen. Solches kan man sehen aus dem Tractat, so Ihr F. G. selber gestellet *de veteri Philosophia*, da J. F. G. beweiset/ quomodo natura ab arte juvetur, so für 10. Jahren zu Rostock gedrucket/ und ist Hertzog Caroln in Schweden J. F. G. vielgeliebtem Herrn Schwager zugeschrieben.

(γ) Præ cæteris in memoriam Ducis *Ulrici* edidit *D. Lobechius* Theol. Rostoch. Orat. funebr. Güstroviæ ad exsequias ipsius 1603. recitatam. Scripsit & Panegyricum in eundem adhuc vivum Ducem Ulricum *M. Johannes Simonius* Prof. Eloq. Rostoch. 1599. edit. cui & defuncto 1603. Rostochii parentavit idem, & ab eo tempore parentalia anniversaria in ejusdem memoriam celebravit, quæ conjunctim edidit in libello, cui titulus: *Joh. Simonii Heros Megapolitanus D. Ulrici.* *Anniversaria* illa *Ulriciana* continuarunt Professores Rostoch. ex Concilii Decreto ultra viginti annos, ut passim obvia adhuc Programmata Acad. testantur. *Oratio* quoque *funebris*, quam e suggestu templi cathedralis Güstroviæ ad exequias Ducis Ulrici habuit *D. Lucas Bacmeisterus* junior, postea Superintend. Güstrov. super Text. Psalm. LXI. integr. prodiit in lucem. *D. Elisabetha* memo-

riam

riam repræsentant (1.) *M. Conradi Schlüsselburgii* duæ orationes funebres in obitum ejusdem è Siracidis cap. 44. a v. 1. usque ad 15. VVismariæ habitæ d. 23. & 25. Nov. 1586. & postea VVittebergæ edit. (2.) *Andreæ Celichii* Superint. Güstrov. Concio funebr. Güstroviæ habita ad exsequias D. Elisabethæ super Text. Joh. V. v. 24. cap. VIII. v. 51. (3.) Parentatio latina *D. Chytræi* Güstroviæ d. 23. Nov. 1586. habita è suggestu Cathedrali, quæ & latine & germanice postea prodiit. (4.) De Laudibus Elisabethæ Cimbricæ Liber peculiaris *Jo. Caselii* edit. Rostoch. 1586. *D. Annæ* alteri Ducis Ul[illegible] conjugi parentarunt anno 1626. d. 14. Dec. latinè *Petrus Laurenbergius* Phil. & Med. D. ac Prof. Rostoch. germanicè *D. Lucas Bacmeisterus* Superint. Güstrov. super Text. Esa. XXVI. 20. 21. singulatim edit. Illustres illarum Personarum Imagines hodienum conspiciuntur in Basilicâ & Mausolæo Doberanensi.

(d) Liber ille idiomate Germanico conscriptus hunc titulum præfert: Kurtze Wiederholung etlicher fürnehmer Hauptstück Christlicher Lehre nach Ordnung des Catechismi durch eine hohe Fürstl. Person zusammen getragen / mit einer Vorrede Andreæ Celichii Mecklenburgischen Superintendenten. Gedruckt Leipzig / 1594. in IV. In Verlegung VVerneri Langen / Buchbinders und Buchhändlers in Güstrow.

§. XV.

Antequam vero Ulriciana nobis tempora hic transeant, unum adhuc restat de *Elisabetha* gl. m. Principe dicendum, quod præterire videbatur nefas, quodque a *Chytraeo* & *Caselio* Panegyristis in virtutibus ejus commemoratum legi. Nimirum excogitavisse eam, non tantum, quæ ad sui nominis memoriam, ad seram posteritatem, sed etiam potissimum ad provinciæ utilitatem facerent. Huc pertinet: quod per universam, ubi opus fuit, provinciam vias regias & muniend[illegible] & lapidibus sternendas curaverit; quæ res tanti etiam apud priscos Romanos fuit, ut auctoribus immortalitatem nominis pepererit, quòd ab illis nominarentur Appia, Flaminia, Æmilia, & aliæ ab aliis viæ. Accedit, quod sylvas complures passim severit cum multorum admiratione, quæ posteritati in hunc usq; diem vel ligna focis, vel trabes ædibus, vel malos navibꝰ, vel etiam pecoribꝰ glandes suppeditant. Montes & campos arenarum cumulis obrutos ideoque frugum steriles & incultos conseri seminibus picearum aliarumque arborum plantis curavit. Hactenus Chytr. & Casel. Meminit hujus Plantationis etiam *M. Johannes Colerus* nostras, in *Oeconomiâ Rurali* atque Domesticâ (quæ haud ita dudum insigniter

casti-

castigata & aucta prodiit Francofurti 1692.) Lib. VIII. c. 12. ubi tamen errorem in nomine D. Principis deprehendes, quippe quæ *Elisabetha* (non *Sophia*) fuisset appellanda. Ejusmodi *Elisabethano* beneficio acceptum refert cum primis *Gustrovia* nostra, quod inde usque abunde sibi prospectum fuit variis ligni generibus: quæ enim ad Orientem versus intra primum ab urbe lapidem longe lateque prospicimus pineta olim densa, nunc indies rariora, provido almæ Principis consilio posteritati consita ac plantata sunt, adhibitis è scholastico hic cœtu ad seminandum nobilioribus aliquot adolescentulis, quorum nomina adhuc in templo Cathedrali nostro, posteriori altaris parti adscripta & modo interpolata reperiuntur (*). Ex quo tempore in agro Rosinensi, ubi principium seminandi fuerat factum, saxorum quædam moles, juxta viam regiam, datâ operâ olim exstructa, nunc autem injuria temporis fere disjecta, monumentum ejus rei præbuit. Quid vero causæ est, quin hodie vel pari consilio, studio, exemplo nostræ posteritati consulentes arboreta seramus, vel sata tueamur melius? Cur ad internecionem ita cædi, excidi consitas olim sylvas patimur? num posthac vel nihil vel parum ejusmodi rebus fore opus putamus? (*)

(*) Omnis ille seminandi processus ita descriptus legitur in dicto Altari; Es hat die Durchlauchtige Hochgebohrne Fürstin und Fraw Elisabeth gebohrne aus Königl. Stamme Dännemarck / Hertzogin zu Mecklenburg ꝛc. ꝛc. ꝛc. Anno 1573. am Grünen Donnerstage alle Plätze bey Püskau und Kirchen-Rosien mit Tannen-Saamen durch den Hauptmann Gößlich Barner besäen lassen / und nachgeschriebene Knaben um Gedächtniß willen mit dabey genommen:

David Hane zu Damerau/von	14. Jahren
Jochim Stralendorff zu Goldebeck/	14. Jahren
Köne Kergberg von Güstrow/	9. Jahren
Detloff Gamme zu Schwerin	8. Jahren
Christoffer Klevena/	11. Jahren
Lorentz Klevena/	9 Jahren
Daniel Stellmann/	7. Jahren
Melcher Stellmann/	5. Jahren
Johannes Grubenhagen	13. Jahren
Jochim Schütte/	9. Jahren
Ulrich Krüger/	9. Jahren
David Pravest/	9. Jahren
Bastian Leupolt/	8. Jahren
Melcher Mollenau/	11. Jahren
Christoffer Mollenau/	9. Jahren
Peter Tidemann/	9. Jahren
Nicolaus Giesenhagen/	14. Jahren
Jürgen Dunckelmann aus Westphalen	15. Jahren.

§. XVI.

Güstrovia novum ac-

Decus antiquum obtinet Güstrovia, sub

Carolo Mecleburgensium Duce & Raceburgensi Episcopo, qui *Ulrico* fratri successor & junioribus Principibus *Adolpho Friderico* atque *Johanni Alberto* tutor datus, hanc aulam pariter sibi domicilio delegit, & beatiss. fratrum institutis, pactis atque sanctionibus acquievit, quantum potuit & quoad vixit. Nec fuisse quicquam mali, crediderim, istis temporibus, de quo graviter conquesti cives, nisi lues quædam epidemia, quam vocamus pestem, cum alias urbes, tum hanc & universam Mecleburgensem afflixisset. Irrepsit autem hoc malum eodem, quo diem suum obierat Princeps noster *Ulricus*, anno 1603. per æstatem atque autumnum vehementer grassata in hac urbe, ut non temere observatum putes à quibusdam, summorum Virorum mortem plerumque portendere imminentis aliquid mali. Interim *Carolo* Duci omnia administranti maximæ fuit curæ salus publica, qui ita prospexit universis, ut bene esset singulis, Principesque juniores fratris sui *Johannis Alberti I.* ex filio *Johanne* nepotes sic educandos curavit, ut bene de ipsis possent sperare subditi. Prima cura fuit, ut vera DEI notitia, pietate ac virtute imbuerentur; secunda, ut optimis artibus, disciplinis ac linguis expolirentur; quapropter ipsos Anno 1604. ad

cepit ornamentum ab Carolo Mecleb. Duce Anno 1603. seqq.

Pestis grassatur Güstrovia Ann. 1603.

Academiam Lipsiensem (quæ majorem natu Principem *Adolphum Fridericum* Rectorem magnificentissimum creavit.) hinc Argentoratum, Basileam, indeque in Italiam, Galliam ablegavit. Reduces Ann. 1607. rebus publicis initiari voluit, & Ann. 1609. convocatis Provinciæ ordinibus indictoque solenni Homagio, destinavit iisdem ac commendavit summam rerum, itaque vivus omnia disposuit, ne qua sese mortuo dissidii ac belli intestini semina relinquerentur in perniciem patriæ. Neque eo magis a gubernaculo recessit Princeps Senior, donec anno 1610. die 22. Jul. ex hâc demigravit vita, quam ad LXX. annos perduxerat, Güstroviæ die 30. August. sepultus in æde cathedrali, sine ulla pompa funeris: quoniam non nisi linteaminibus vulgaribus involvi, nec aliâ, nisi quæ ex solido ligno facta esset, urnâ ferali condi humariq; voluit, quemadmodum ipse moribundus serio præceperat (*). Parentavit eidem sepeliendo *Jo. Caselius* latinè, quæ Oratio Helmestadii prodiit 1610. mense Sextili. Germanicè autem *D. Lucas Bacmeisterus* Superint. Güstrov. Orationem funebrem habuit ad easdem exsequias super Text. 2. Paralip. cap. 17. 18. 19. 20. 21. quæ de Josaphat Rege ejusque vita ac morte sparsim ibidem leguntur. Effigies ejus in

(*)

Ba-

Basilica Doberanensi æque ac Majorum cernitur.

(*) Memorabile exemplum Principis, magis id, quod decet, quam quod licet, spectantis, funerisque sui, cujus modum excedere solent multi, pompam prohibentis. Idem videtur voluisse *Ulricus II.* Dux Meclenburgensis, Lineæ Stargardiensis ultimus, qui Anno 1471. moribundus dixisse fertur: O Gott/wie hat man gekämpfft und gerannt/ um vier Bretter und ein Leingewand. Et in recenti adhuc memoria versatur Ducis Holsatiæ Plœnensis *Johannis Adolphi* exemplum, qui, antequam obdormisceret (obdormivit autem A. 1704. d. 2. Jul.), omni funeris pompâ serio interdictâ, ex ligno vulgari sibi loculum parari, & cervici pulvillum, non plumis, sed terrâ refertum substerni, omnesque exuvias ipsa humo condi, nec, quod moris esse solet, concentum musicum suæ mortis causa in templis intermitti, jussit; quod & ita factum.

§. XVII.

A morte Caroli Ducis regentis facies rerum fuit mutata, ita tamen, ut Güstrovia antiquum obtineret decus sub Johanne Alberto II. Duce suo. A. 1611. & 1621.

Ab hoc tempore variam fortunæ vicem subiit Güstrovia, prout rerum facies in his terris vel in melius mutata fuit vel in deterius. Secundis quidem auspiciis & cum ingenti omnium subditorum applausu ac congratulatione uterque Princeps *Adolphus Fridericus I.* & *Johannes Albertus II.* germani, rerum potiti sunt: inter quos Anno. 1611. ita convenit per *Transactionem Varenboldinam*,

nam, ut æquâ sorte divideretur patrimoniū, & suum quisque principatum obtineret, nec alter ab alterius penderet arbitrio. Hoc pacto *Adolpho Friderico* obtigit Ducatus Suerinensis, *Johanni Alberto* autem Güstroviensis, qui & præterea coadjutor Episcopatus Raceburgensis factus erat anno 1610. ipse futurus aliquando Episcopus sive Administrator. Sed cum interdum nonnihil dissensionis oriretur, alteruter suâ sorte minus contentus viveret, alio pacto conventum est, donec tandem Ann. 1621. per *Transactionem Güstroviensem* nova sortitio fieret, quæ eodem tamen recidit, ut Güstroviensis Ducatus penes Ducem *Johannem Albertum II.* maneret. Qui bonus princeps dum in religionis negotio circumveniri se passus est a nonnullis, qui de cœna Dominica & aliis orthodoxæ fidei Articulis quibusdam secus sentirent, ac verbum DEI permittit, tandem id consilii cepit, ut Ecclesiam hic aulicam anno 1618 d 28 Jun. Dominicâ IV post Trinit. ad Reformatorum sacra reformaret, & a nostris ceremoniis dogmatibusque perpetuo abhorreret. Secessionis vero initium fiebat a Ceremoniis, quæ displicebant, nonnullis, ab Exorcismo inprimis (qui Solœcismus perperam dicebatur) & Elencho Homiletico, abrogandis: quarum sana-

Mutatio Religionis in Aula Güstroviensi A. 1618.

tatio

ratio & utilitas cum strenue vindicaretur à D. Luca Bacmeistero Theologo ac Superintendente Güstroviensi cæterisque Verbi divini Ministris, hi in maximum incurrerunt odium invidiamque novatorum. Quapropter s. hospites s. exsules nonnulli e Silesia, Palatinatu & aliunde, belli atrocitatem fugientes, huc delati Theologi atque Concionatores Reformati, e. g. *Georgius Ursinus*, *D. Abrahamus Scultetus*, *Johannes Rhuelius*, *M. Adamus Christianus Agricola*, *Theophilus Neubergerus*, *Andreas Winsius*, *Johannes Appelius*, *M. Wilhelmus Schnabelius* (*a*), admittebantur alebanturque, alii ad tempus, alii continenter, ad sacra hic Aulica procuranda. Disputatum fuit crebro de rebus fidei utrinque; illis veritati puræ non cedentibus, nostratibus vero eandem strenue propugnantibus. Tentatum aliquando fuit maxime autem A. 1620. in conventu provinciali Sternbergensi, ut Basilica nostra Cæciliana traderetur novis illorum sacris, at renitentibus totius provinciæ ordinibus, altero etiam Duce *Adolpho Friderico* vehementer ejusmodi machinationes improbante, operam perdiderunt illi, præter Sacellum hic aulicum nihil quicquam lucrati (*b*). Inter hæc Anno 1617. Festum Seculare s. Jubilæum primum Lutheri in memoriam susceptæ

(*a*)

(*b*)

A. 1617. Jubilæum Lutheranũ universale.

coeptæ feliciter anno 1517. prid. Calend. Nov. à B. Luthero Reformationis, passim celebrarunt in Ecclesiis cùm aliis, tum etiam hic nostris. Cujusmodi solennitas Güstroviæ d. 2. Novembr. (quæ proxima tum fuit ab O. S. vigiliis feria Dominica) omni, qua par erat, supplicatione peragebatur. Cum autem Novelli Reformatores nostri jam in dies omnia sibi arctiora fieri viderent in sacello Aulico, nec aliud in urbe templum pro ipsis vacaret, ad novum fanum extruendum animos applicuere manusque, cui rei non alius commodior locus occurrebat, quam quæ extra arcem Ducalem est area satis ampla, ubi ædificare cœperunt 1623. in frontispicio Palatii Principis, adhibitis in subsidium ruderibus & parietinis Sacellorum ac collegiorum e Papatu residuorum, quâ ratione & veteri Franciscano Monasterio, quod olim Henricum Pacificum Albertum pulchrum Duces anno 1509. fundasse supra commemoravimus, tandem parentatum est. Sed dum in hac extruenda mole occupantur, pestilitas quædam ingravèscens sufflaminavit opus, quæ Anno 1624. nobiliores multos hâc urbe expulit, & ipsum Principem *Johannem Albertum* cum Serenissima familia Stargardiam demigrare coëgit, relictâ hic & occlusâ arce. Sæviitque hæc lues per hanc pro-

Pestis sævit Güstroviæ A. 1624.

rovinciam in annum usque 1626. ac complures peremit incolas. Simulac autem remisit nonnihil contagio, dum continuant cœptam ædificationem, dum rerum suarum satagunt, ut operi absoluto coronidem imponant, catastrophen huic fabulæ dedit longe tristissimam *Wallensteinius* ille famosissimus, cum anno 1628. exitiale bellum inferret in has terras, ejectisque solo patrio Principibus, Gustroviæ sedem figeret.

(a) E quibus *Georgius Ursinus*, Misnensis, non alius quam γνησίως Lutheranus videri haberique voluit, quantumvis multam novitatis suspicionem præberet Nostratibus. In vulgus edidit concionem funebrem in memoriam D. *Margaretha Elisabetha* Ducis Johannis Alberti conjugis mortuæ 1617. & non multo post aliorsum demigravit.

D. Abrahamus Scultetus, insignis Reformatorum Theologus & Professor Heidelbergensis, nec non Friderico V. Palatino Electori à consiliis & concionibus sacris, qui ob motus Bohemicos exul factus, Ducique nostro Johanni Alberto commendatus, aliquantisper Aulæ Güstrov. sese venditavit; Princeps vero noster Cæsarem metuens cum bona gratia rursus dimisit hospitem ad Pastoratum Embdanum hinc abeuntem. † 1624. Scripta ejus vide in VVitt. Diar. Biograph. recensita.

Johannes Rhuelius, Ottranto Misnicus, primo Lauenburgi ad Albim concionator

Auli-

Aulicus, tum Pastor Eckernfördanus in Holsatia, postea in Aula Gottorpiensi Presbyter, tandem à Duce nostro Johanne Alberto in Aulam Güstroviensem vocatus, præter conciones funebres luci publicæ expositas edidit quoque A. 1618. *Homiliam de Cæna Dominica*, qua dissensum suum ab Ecclesia Lutherana satis superque demonstravit, propterea que D. Lucam Bacmeisterum hic Superintendentem, & Johannem Affelmannum Theologum Rostochiensem, nec non M. Johannem Cölerum Superintend. Parchimensem Confutatores nactus est.

Theophilus Neuberger, qui antea fuerat Concionator Aulicus Heidelbergensis, quàm in Aulam nostram perveniret: cumque hic multas vidisset vicissitudines, tandem demigravit ad Cassellanos Concionator Aulicus atque Superintendens ibidem factus. † 1656. Güstroviæ, quoad vixit varia publicavit scripta Homiletica, quæ quidem in pretio haberi solent: (1.) *Praxin fidei*, d. i. Ubung und Nutz des Glaubens und gantzer Christl. Religion zum Trost des Gewissens und Besserung des Lebens/ Güstroviæ 1626. in Octav. (2.) Geitz-Spiegel/ oder Treuhertzige Warnung für dem leidigen Geitz und den ungerechten Müntz- und Wucher-Handel/ Rostock 1624. (3.) Fluch-Spiegel/ oder Treuhertzige Vermahnung für das leichtfertige Schweren/ fluchen und verfluchen/ Rostock 1625. (4.) *de Providentia*, von der Fürsehung GOttes 5. Predigten/ Güstrow 1627. (5.) von der Christl. Gedult 3. Predigten/ Gü-

Güstrow 1617. (6.) Unterschiedliche Leich-Predigten. Reliqua vide in VVitt. Diar. Biograph. Tom. II. ad Ann. 1656.

Cæteri, *M. Adam-Christianus Agricola* Silesius, *Johannes Appelius* Palatinus, *M. VVilhelmus Schnabelius* Eschwega Hassus, nonnisi Concionibus exsequialibus in memoriam D. Johannis Alberti II. † 1636. ejusque conjugem Elisabetham Hassiacam. † 1626. conscriptis inclaruerunt.

(b) Quæ ab Anno 1612. usqque ad ann. 1626. religionis causa acta sunt Güstroviæ, quæque scripta ac disputata in utramque partem, calamo admodum solicito annotavit *D. Lucas Bacmeisterus* Superintendens Güstroviensis eo tempore longe meritissimus. Eademque in Codice MScto asservantur adhuc a plurimum Rev. Ministerio Güstroviensi. Unde & ansa nobis & copia suppeditata est strictim hic enarrandi, quæ uberius ibi tam grandi & prolixo opere conscripta reperiuntur. Omnino etiam memorabile est hac in causa Privilegium illud Provinciale, quod sub titulo *Assecuration-Revers de dato Güstrow d. 23. Febr. 1621.* promulgatum prodiit, Artic. I. de puncto Relig pag. 18.

§. XVIII.

Namque ex funestis Bohemici incendii initiis, unde omnis exarsit Germania, flammam quoque conceperat Saxonia inferior, Tillio & Wallensteinio Visurgis Albisque ripas insolitâ pecuniarum exactione va- *Tempestas VVallensteiniana per annos 1627. 1628. 1629. 1630.*

stantibus. Circuli hujus Principes, ut avitam libertatem suam defenderent omnesque injurias à finibus suis propulsarent, iniverunt societatem, electo Danorum Rege *Christiano IV.* belli Duce, qui autem non tam animi magnitudine, quam fortunæ favore destitutus, acceptâ ad Lutheram 1626. clade, victricibus Cæsareanorum armis cessit & fœderatos omnes in societatem periculi adduxit. Male inprimis habuit Cæsarem, Duces quoque Megapolitanos arma sua cæteris junxisse, nec sibi avocanti ac dehortanti paruisse, qui propterea satis videbantur idonei, ut Tillianas & Wallensteinianas copias anno 1627. hospitio hiberno exciperent & barbarorum ejusmodi militum rabiem ac insolentiam probe experirentur: quinimo nec auditi quidem *Adolphus Fridericus* & *Johannes Albertus* Duces perduellionis damnandi ac proscripti 1628. avitis possessionibus suis, *Alberto Fridlandiæ Duci* in opimum victoriæ spolium adjudicatis, spoliarentur, perpetuo mulctandi exilio. Exin *Apologiam* quidem nostri vasto conscripsere libro & per alios Reges atque Principes inauditam injuriam deprecari cæperunt, ipsumque Wallensteinium, quibuscunque possent modis, deliniri & amoliri studuerunt; at frustra: surdo narrabatur fabula. Cæsar enim

nim publicato diplomate & per arbitros suos s. Commissarios *Johannem Altingerum* & *Reinhardum Walmerodium* diem dixit omnibus ac singulis Reipubl. Meclenburg. Ordinibus, quâ Ducibus pristinis fidem renunciare & in posterum soli *Alberto* Fridlandiæ Duci sese obsequio ac jurejurando obstringere juberentur, cui in belli impensas hunc Ducatum cum omni jure ac privilegiis eò pertinentibus possidendum tradidit Cæsar. Dies erat 29. Mart. Ann. 1628. qua *Güstrovia* conscripti Equites, Nobiles, ac Cives totius Ducatus Meclenburgici recipiebantur in fidem *Alberti* tum absentis & Stralesundam obsidentis, sed per delegatos suos ministros *Henricum de S. Juliano Baronem*, *Justum Lüderum* JCtum, & *Henricum Niemannum* omnia disponentis. Qui simulac potuit, relicta obsidione Sundicâ, ipse properavit Güstroviam, ut caperet possessionem omniaque firmaret præsidiis. Intravit hanc urbem d. 17. Julii & occupatâ aulâ Ducali hic sedem fixit, resque suas ita stabilivit, quasi perpetuo vindicaturus. In religione nihil quicquam mutavit, in politia vero novam induit reipublicæ formam, ita tamen, ut sarta tecta civitas servaret jura sua. Cives quidem nostros, tum opulentiores, ingenti pecunia emunxit ad copias militares, qui-

bus præerat, alendas; nec aliis pepercit extra hoc oppidum incolis, quorum plerosque in quartum usque annum infinitis exactionibus miserrime divexatos omnibus fere fortunæ bonis exuit & ad incitas redegit: milites vero suos admodum severa coërcuit disciplina, ne cuiquam injuriam facerent. Arcis nostræ Ducalis, quæ meridiem spectat, partem vacuam exædificare cœpit, solidumque posuit operis futuri fundamentum, cujus hodienum supersunt rudera, mutuatus de recens extructo Reformatorum templo, quod funditus destruxit, materiem & saxa. Incidit sinistra hæc rerum vicissitudo in ipsum 1628. annum, in quo quintum à primo Güstroviensium Christianismo Seculum finitur simulque inauspicatum fit initium Sexti, quod nunc labitur, & cujus multo lætiorem aliquando catastrophen nobis exoptamus a DEO, qui gubernat & moderatur omnia.

NB. in Anno 1628. finitur Seculum a primo Güstroviensium Christianismo quintum.

§. XIX.

VVallensteinii per Suecos expulsio A. 1631. & ducum Meclenburgensium restitutio.

Cæterum violentum *Wallensteinii* imperium apud nos ultra triennium non duravit, cujus tamen memoria adhuc multa superest. A suis metui maluit, quam diligi, notaturque imprimis superbia ejus atque animi intemperies: hæc multa edidit

cru-

crudelitatis facinora, illa autem stoliditate sua non caruit. Cum igitur magis magisgisque invisus redderetur omnibus *Wallensteinius*, affectans etiam dominium maris Balthici, commune Principum German. postulatum fuit, ut ipsi Dictatura imperii militaris abrogaretur, suffecto in locum ejus Tillio. Cum vero nec hac ratione consultum esset libertati Germaniæ, Suecorum Rex *Gustavus Adolphus* tandem in subsidium vocatus ab oppressis Germaniæ Principibus Ann. 1630. valido cum exercitu in Pomeraniam fecit exscensionem, atque Imperialibus undique profligatis; inde Mecleburgensibus auxilio profectus 1631. ejectoque Wallensteinii præsidio exsules Duces revocatos postliminio terris suis avitisque possessionibus restituit. Dici non potest, quantis plausibus jubilisque tum excepti fuerint ab omnibus civibus Duces nostri *Adolphus Fridericus* & *Johannes Albertus* reduces. Candidoque imprimis calculo distinguendus est in fastis Meclenburgicis dies XXI. Julii, quo Güstroviam suam rursus intravit *Johannes Albertus* Dux gratiosissimus, modico apparatu, ut tum fuerunt tempora nostra, exceptus comitantibus ab ordine Equestri & Suecorum præsidio militari nonnullis, ipso autem Rege procul absente & in hostium tergis

Fabula de pomposa Principum nostrorum reductione exploditur.

hærente. Ridemus igitur atque explodimus merito putidam illam de pomposa Ducum nostrorum reductione per ipsum potentissimum Sueciæ Regem *Gustavum Adolphum* d. 5. Jun. factâ (potius fictâ) fabulam, quæ tum à malevolentissimis homuncionibus ad traducendos Sereniss. Duces nostros excogitata, novellisque chartis disseminata in omnem Europæ partem circumferebatur (*). Capti sunt istiusmodi figmento seu potius decepti etiam magni nominis Scriptores, qui incautius fidem habentes, annalibus quoque publicis ac Historiarum monumentis talia intexuerunt. Cujusmodi vanitate suffarcinatum adhuc videmus Opus Merianum, seu Theatrum Europæum Part. II. ad Ann. 1631. ag. 419. nec usquam alibi tam speciosis coloribus depicta hæc fabula deprehenditur, quæ & æneis typis separatim exsculpta prodiit in tabellâ cum effigie sub titulo: Wahre Abbildung und Verzeichniß / welcher Gestalt die Fürsten von Mecklenburg zu Güstrow ihren Einzug gehalten / und also wieder in ihr Land eingesetzet worden 2c. 2c.

(*) Non fore quidem operæ pretium putavi, ut fictas ejusmodi solennitates huic quoque chartæ illinerem; quæ contra vero & acta & narrata apud nos extant, veritatis cau-

causa non possum non subnectere. Prodeat αὐτόπτης testis fideque dignus Scriptor *M. Georgius Schedius*, Rector olim Scholæ Güstroviensis meritissimus, qui in *Viridario suo Philologico*, edit. Rostoch. 1647. & 1648. in Octav. Centur. I. pag. 309. seqq. in Discursu de Pareliis Güstroviæ 1630. d. 19. April. visis, inter alia hæc tradit: Hie kan ich nicht vorbey/ sondern muß nothwendig etwas melden: Anno 1631. wurde in den gemeinen Avisen ausgesprenget/ als wäre in beyden FF. GG. Hertzogen von Mecklenburg/ Gebrüdern/ glücklichen aus ihrem dreyjährigen Exilio Wiederkunfft sonderlich Gepränge mit Glockenläuten/ Loßbrennung der Stückel des Ministerii und der Schulen Procesſ, auch mit musiciren/ wie denn nicht weniger in Begleitung vieler vornehmer/ nunmehro aber in GOtt selig verstorbenen Printzen/ als Königl. Maj. in Schweden Gustavi Adolphi, des Printzen aus Dennemarck Christiani V, und Hertzogen Bugislai in Pommern/ wie auch Hertzogs VVilhelms aus Curland/ mit so viel Kessel-Trummeln/ Trompeten/ stattlich bekleideten in grosser Anzahl Trabanten/ gehalten worden. Aus solcher Chartec ist es nachmahls von M. Johanne Philippo Abelino Argentinensi in seiner Historischen Chronic-Continuation Ann. 1633. bey Herrn Matthæo Merian zu Franckfurt am Mayn gedruckt/ gebracht und eingetragen worden/ und ist zu lesen pag. 396. Daß aber hieran der erste Concipient die Wahrheit zum höchsten gesparet/ und an statt

dieser eine dicke / feiste und wohlgemäste Lügen allen der Wahrheit liebenden Lesern verkauffet habe / gebe ich einem jeden zu bedencken. Denn wie solten doch JJ. FF. GG. ihres unschuldig über die drey Jahr erduldeten Exilii noch eingedenck / bey auch noch lichterlohe brennenden Feuers in gemeinem Vaterlande Teutscher Nation in solche Insolenz gerathen seyn / daß Sie einen so prächtigen Einzug / der kaum einem Könige zu ertragen wäre / halten sollen? damit nun jederman hievon die Wahrheit wisse / so ist nicht allein denen Einwohnern zu Güstrow und des gantzen Landes Mecklenburg / sondern auch angrentzenden Pommerlande / Marck / und Ansee-Städten bekandt / daß bey Hertzog Johann Albrechts F. G. Hochsel. Andenckens / keine andere Fürstl. Person zugegen / als seine Hof-Junckern / die er allezeit in währendem Exilio bey sich gehabt / gewesen seyn. Diesen haben sich / ihre gehorsame Pflicht zu bezeugen / adjungiret / etliche vom Land-Adel und etliche wenig Schweden. Keines oberwehnten Processes Gleichförmigkeit ist gedacht worden / es wäre denn einer oder der ander ins Feld spatziret / von weitem J. F. G. zu erwarten / den genug schlechten Einzug / wenn man ihn gegen den falschen und erdichteten halten will / besser in Augenschein zu nehmen &c.

§. XX.

Güstroviensium gaudia in tri-

Rege iterum ulterius ad liberandam superiorem etiam Germaniam pergente, nec

nec ipsi Duces, laribus suis jam restituti, cessarunt abalienata, quæ restabant, loca sui non minus quam Suecorum, qui juverunt, armis recuperare atque præsidia Wallensteiniana hinc inde expellere: restabant vero Rostochium, Wismaria, Domitia, reliquis munitoria oppida, in alterum annum vim nostratium sustinentia. Quibus tandem ad officium reductis, omnis hæc terra à tyrannide liberata *solenne* DEO liberatori *Supplicationem* decrevit, quæ d. 13. Febr. Ann. 1632. per universum Ducatum Mecleburgensem festis sacris celebrata perque complures annos eâdem revertente luce repetita fuit: quia enim die illa XIII. Januar. reliquiarum Ligisticarum manipulus, relictâ etiam Wismariâ, quæ postrema fuit, demum omni cessit ditione Mecklenburgica, ideo eandem perpetuâ memoriâ (zu ewiger Gedächtniß/ ut verba decreti habent) prosequendam voluerunt pii Principes nostri; quæ tamen *æternitas* (ut sunt humana) paulatim suum invenit finem. Sic quidem magnopere lætari Populus Megapolitanus deque Principibus restitutis multum sibi gratulari poterat; at non solide tamen gaudere poterat, quod variante belli fortuna hostis nonnunquam victor has terras repetitum iret ferrumque & flammas mineretur, inprimis

Sitiam Sexsa ob prematurum Ducis sui Joh. Alberti obitum.

mis occumbente in prælio Lüzensi Rege *Gustavo Adolpho*, donec tandem Wallensteinio ann. 1634. obtruncato & subsecutâ 1635. Pacificatione Pragensi Duces nostri cum Cæsare jam reconciliato in gratiam rediissent. Nec dum satis expiata videbantur cædibus atque rapinis superioribus peccata terræ nostræ: imminebant plura mala: ex bello fames, ex fame pestis oriebatur. Ingruentibus vero his malis præripiebatur *Johannes Albertus II.* Dux Güstroviensis Ann. 1636. d. 23. April. præmaturâ morte, annum agens 46. vitæ & 26. reipublicæ. Superstites eidem fuerunt à Conjuge prima *Margareta Elisabetha* cognatâ duæ filiæ, *Sophia Elisabetha Augusta* Brunsuic. Duci 1635. nupta, & *Christiana Margareta*, quam conjugem duxit *Franciscus Albertus* Dux Saxo-Lauenburgicus 1640. & post hujus fata Patruelis *Christianus* Dux Mecklenb. Suerinensis 1650. Ex Conjuge altera *Elisabetha* Hassiaca nulli; e tertia vero *Eleonora Maria* Anhaldina præter *Annam Sophiam* Ludovico Duci Lignicensi matrimonio junctam & *Loysam* ann. 1648. demortuam, unicus filius ac Hæres Princeps *Gustavus Adolphus* ann. 1633. d. 26. Febr. in maximum Patriæ solatium atque ornamentum natus. Hujus pupilli tutelam ipsa vidua Mater susceptura allegavit

tabu-

tabulam conscripti testamenti, quam reliquisset maritus; sed ratum habere noluit *Adolphus Fridericus* Dux Suerinensis defuncti frater, qui e matris etiam invitæ complexu Principem tenellum avulsum in Suerinensem aulam abduxit secum, eundemque non ut pupillum solet tutor, sed ut filium Pater, habuit, amavit, educavit; viduam vero omni Administratione abstinere dotalique suo prædio Strelicensi acquiescere voluit. Quæ cum intercedendo protestandoque nihil quicquam efficere posset, relictâ tandem Güstroviâ secessit Streliciam: quo pacto etiam exercitium Reform. Religionis hic omnino cessavit, quoniam filius futuro destinatus Magistratui à teneris annis ad invariatæ Aug. Conf. normam rursus applicare animum cœpit.

§. XXI.

Inter hæc conversis Germaniæ rebus Cæsareani Ductore *Gallassio* Ann. 1637. e Misnia in Pomeraniam signa victricia intulerunt, Suecis nonnihil succumbentibus inque extremum Maris Balthici angulum recedentibus: unde recuperatis quibusdam Pomeraniæ propugnaculis trux ille miles per Mecleburgensem quoque Ducatum libere vagatus, a Sueco autem identidem infestatus & attritus rursus infestavit & attrivit incolas nostros: id quod extremam

Acerbissima Güstroviæ totiusque Provinciæ Mecleburgicæ calamitas A. 1638. ob belli ac pestis sævitiam.

mam

mam omnium rerum egestatem maximamque post hominum memoriam cladem in has terras importavit. Anno enim 1638. tantopere hic locorum & præsertim *Güstrovia* sæviit Epidemius morbus tantasque edidit strages, ut, quò se quisquam verteret, nil nisi funera cerneret, quibus humandis dies noctesque occupati fuere vespillones: nec infimæ tantum sortis homines rapuit funesta contagio, sed & primarios utriusque sexus cives, ac nobilissimi ordinis Viros atque matronas, ut inde pleræque vacarent ædes habitatoribus, maximaque esset solitudo per urbem. Namque illa peste supra viginti hominum millia in hac urbe ejusque ambitu periisse (infinita enim multitudo tum ex agris bello devastatis huc confluxerat) nec ullam extitisse majoris calamitatis memoriam in his locis, relatum accepimus à fide dignis hominibus. Ab anno autem 1639. remisit contagio; atque ita remisisse eam, ut inde ad hæc usque tempora nobis pepercerit DEUS, est, quapropter Benignitati ipsius grates debemus maximas, ac supplicamus humillime, ut & in posterum pro bona voluntate sua parcat nobis; id pia agnoscentes mente, quam simus præ majoribus nostris felices, qui inde per LXX. fere annos ejusmodi malorum prorsus expertes vixerimus, cum illi tamen

in-

intra LXX. annorum decursum quatuor pestilentias sat graves experti fuerint, ann. scilicet 1565. 1603. 1624. 1638. quæ postrema omnium videbatur gravissima, cum miserabili totius Provinciæ πανολεθρία conjuncta. Tot vero malis tandem defuncta convalescere cœpit *Güstrovia* & vires recipere: nec defuit Sereniss. Dux *Adolphus Fridericus* Administrator rebus nostris, qui collegia instauravit collapsa, omniaque ita disposuit ac ordinavit pro Principe pupillo *Gustavo Adolpho*, uti communis & publica requirebat salus. Cujus beneficii memoriam gratâ & obstrictâ mente nunquam recolere non poterimus.

Memoria Ducis Adolphi Friderici I. nunquam intermoritura.

§. XXII.

Güstrobia lætatur educatione Principis sui Gustavi Adolphi, ejusdemque auspicio Regiminis.

Cum vero id jam ætatis haberet Dux *Gustavus Adolphus*, ut illustrioribus editis Speciminibus exspectationem subditorum atque spem de se conceptam non implere modo, sed & superare posset, indulgente Sereniss. Tutore suo ann. 1645. d. 21. Mart. *Güstroviam* venit, solenni pompa multisque gratulationibus exceptus. Tum pro eodem in aula patria decernebantur & constituebantur omnia, quæ ad rationem domesticam, remque publicam jamjam capessendam viderentur necessaria. Idem ut luculento veræ Religionis documento sese probaret omnibus bonis, die XXVII. Julii, Dominica VIII. post Trinit. publice

Sa-

Sacræ Synaxeos usu in Basilica hic cathedrali coram omni populo primitias professionis Christianæ DEO suo consecravit
(α) (α). Nam uti arboris generosioris planta statim cum fructu solet esse, sic egregia quædam indoles multiplicis virtutis, doctrinæ atque Sapientiæ eminuit etiam in Duce adhuc puero: inprimis Sparsa pietatis semina uberrime succreverunt. Postquam sextum decimum ætatis annum compleverat idem Princeps, volente Patruo Tutore, peregre abiit anno 1649. adjunctisque *Andreâ Prizeburio* Moderatore, *Joachimo Friderico Gansio, Jacobo Schertlingio* cæterisque Hodegis, primo ad Belgas venit & Lugduni Batavorum tirocinia posuit, cum Doctissimorum Virorum consuetudine, tum maxime *M. Zuerii Boxbornii* convictu hospitioque usus, quem & præconem
(β) laudis invenit Princeps noster (β). Perlustrato Belgio aliisque Germaniæ ad Rhenum Provinciis Ann. 1650. Argentorati studiorum causa commoratus cum *Danbauero* & *Dorscheo* (hinc A. 1654. in Academiam Rostochiensem evocato Professionem Theologicam obtulit,) magnis Theologis familiariter vixit, hinc Ann. 1651. ad Gallos atque Italos iter fecit, nobilioresque urbes & Academias visitavit, Principibus æque ac doctis viris gratus ubique & proba-
tur,

tus. Inde Ratisbonâ ac Vindobonâ per Germaniam redux anno 1653. die 11. Januar. *Güstroviam* intravit civiumque suorum atque clientum lætitias auxit quam maximo cumulo. Anno 1654. eam vidit solennitatem *Güstrovia*, ut d. 2. Maji Sereniss. Dux *Gustavus Adolphus* suam ipsius tutelam nactus universum Ducatum Güstroviensem in fidem reciperet subditosque omnes sacramento sibi obligaret solenni ritu summoque omnium applausu. Has publicas lætitias aliæ item non minores exceperunt, ubi eodem anno idem Dux rerum potitus die XXIIX. Decembr. auspicatissimum inivit conjugium cum Serenissima *Magdalena Sibylla* Gottorpiensi Principe eamque domum duxit (γ). Peperit augustum illud Connubium multa felicitates huic urbi, quarum hæc vel præcipua videtur fuisse, quòd, cum e Serenissimo thoro isto tot nascerentur hic Soboles eminentiores, *Güstrovia* fieret quasi seminarium, è quo summorum Regum atque Principum peterentur propagines. (γ)

(α) Eucharistia ideo publica tum temporis Güstroviæ proclamabatur in omnibus templis: Wir dancken der Göttlichen Majestät von gantzem Hertzen / daß er unsern gnädigen jungen Printzen und Herrn / samt dem Fürstl. Comitat mit guter Gesundheit und Wohlfahrt wider anhero zu seiner Fürstl.

Fürstl. Residence hat kommen lassen / der allmächtige GOtt sey dafür gelobet / und erhalte J. F. G. väterlich bey guter Gesundheit / langem Leben und aller Fürstl. Wohlfahrt Leibes und der Seelen / zu seines allerheiligsten Nahmens Ehren und zu seiner Kirchen und des gantzen Landes Besten / und verleihe gnädiglich / daß J. F. G. zunehmen an Weißheit / Alter und Gnade bey GOtt und den Menschen / und nach diesem zeitlichen Leben empfahen ein herrlich Reich und eine schöne Crone von der Hand des HErrn durch Christum JEsum Amen. *Alia Gratiarum actio* d. 27. Jul. proclamata: Wir dancken heute billich dem Allerhöchsten GOtte mit andächtigen Hertzens-Freuden für seine väterliche Güte / Lieb und Treu / die er an unsern gnädigen jungen Printzen und Herrn erwiesen / indem er sie bey ihrer Christ-Fürstlichen Education bißher durch seinen heiligen Geist dergestalt erleuchtet / gelehret / regieret und geführet hat / daß Sie itzo allhie öffentlich für seiner Kirchen und Gemeine mit Empfahung des Heil. Abendmahls nach des HErrn Christi Einsetzung bekennen werden / wie sie der allein wahren seeligmachenden Lutherischen Religion von gantzer Seelen zugethan seyn; der in ihnen angefangen hat das gute Werck / der wolle es auch vollenführen biß auff den Tag Christi und J. F. G. gnädiglich verleihen / daß Sie sammt allen / so hinzu gehen / nicht allein würdiglich essen und trincken vom Brodt und Kelche des HErrn zu ihrer Seeligkeit / sondern daß Sie auch bey der einmahl er-

kand-

Landten Warheit seines Göttlichen Worts durch seine Gnade beständig verharren/ und das Ende ihres Glaubens davon bringen/ nehmlich der Seelen Heil und die ewige Seeligkeit / um seines allerliebsten Sohnes Jesu Christi willen ! Amen. Hierauff ist unter der Communion das Te Deum laudamus lieblich musiciret worden. Sequuntur Epigrammata quædam tum temporis à *Josua Arndio* tunc Juvene studioso, post Viro Theologo, læti ominis causa composita;

1.

Delia nocte pluit, Sol jubila mane reducit,
Gaudia *Gustavo* mittit uterque suo.

2.

Nocte pluit Dominus, Dominus fert gaudia mane,
Accipe divisum numen, *Adolphe*, Dei,

3.

Binos æthra Duces habet & lætatur uterq;,
Quod sperat summos *Aulica Bigæ* Duces.

4.

Mechelburgum loquitur:
Hic tuus est Atlas, *Gustave*, tuæq; Minervæ,
Dii servent! *Atlas tu meus alter eris!*

ita vovet Ann. 1645.
d. 27. Jul.

J. A.

(β) *M. Zuer. Boxhornius* Histor. Univers. pag. m. 865. Dum in his scribendis sumus, videre hic nobis & inspicere propius ac colere splendidissimi illius Vandalorum sanguinis illustrissimum traducem *Gustavum Adolphum*, Ducem Megalopolitanum, licuit

N

guit Germanicæ juventutis vere Principem; & &c, dum raro nunc exemplo in illustriorum omnium scientiarum disciplinarumque studiis excolendis versatur, nihil nisi digna Principe meditantem, visu juxta & auditu in primo adhuc juventæ flore venerabilem, qui, cùm magnitudinem & gravitatem, quod de *Germanico* olim pronunciavit Tacitus summæ fortunæ suæ retineat, invidiam tamen & arrogantiam effugit.

(y) Musæ Meclenburgicæ atque Slesvicenses tum certarunt inter se Epithalamiis concentibusque votivis: Et in *Nicolai Heinsii* Poëmat. lib. II. Sylvarum pag. 156. Epithalamium notavi, hisce Nuptiis Sereniss. Principum *Gustavi Adolphi*, Meclenburgi Ducis, Principis Vandaliæ &c. Ducis, & *Magdalenæ Sibyllæ*, natæ Ducis Sleswigi Holsatiæ, &c. dicatum:

Littoris Ægæi penetralibus alma relictis
Belligeram Thracen septem geminosque
Triones,
Mavortem visura suum cytherea petebat
Nuper, ut assuetos animum furiarat in ignes:
Ulteriora pati viduæ divortia noctis
Impatiens unique toros sociare marito.
&c. &c.

§. XXIII.

Ducis Gustavi Adolphi Constitutiones Ecclesiastica & Scholastica Güstrovienses.

Cæterum prima Ducis nostri cura eaque summa fuit Religionis cultusque Divini: qui simulac ad Rempubl. accessit, omni cogitatione in id incubuit, ut Statum Ecclesiasticum in Ordinem reduceret. Initium fa-

factum est de Sacello aulico, quod ab Reformatis olim abalienatum rursus accommodavit nostris sacris ann. 1655. instituitque Ministerium in Aula sacrum a Rever. Ministerio Oppidano separatum, & præter Superintendentem Güstroviensem Pastoremque hic Cathedralem, delegit sibi peculiares Theologos ad sacra aulica ordinarie procuranda, quorum primi fuere: *Josua Arndius* vocatus 1656. *D. Hermannus Schuckmannus* vocat. 1662. *D. Michael Siricius* vocat. 1670. Tum jussu atque auctoritate Ducis religiosissimi *Synodus* generalis anno 1659. d. 14. Jul. cogebatur a Superintendente *Daniele Jano*, & congregati perhibentur 120. Pastores e District. Güstroviensi atque Rostochiensi: duravitque congregatio ad 19. Jul. in æde nostra cathedrali, ipso Duce nonnunquam præsente, & instar Episcopi omnia, quæ vellet, quæq; ad Emendationem necessaria putaret, suppeditante. Subsecuta est ann. 1661. & 1662. per totam Provinciam (quatenus Ducis G. A. imperio parebat) Visitatio Ecclesiastica generalis, datumque à Principe Episcopo negotium est Viris, e Senatu Provinciali non minus quam Aulico, ex Ordine Equestri æque ac Civili, Theologis pariter ac JCtis delectis, auctoritate, doctrinâ, usu & experientia eminentioribus, nominatim Henrico

von Levitzow & Henningo von Bassewitz Consiliariis Provincialibus, Friderico Hoben Consiliario intimo, Danieli Jano Superintendenti, Joachimo von Nessen Consiliario Justitiæ, D. Joh. Levino Fauder Consiliario, Eggardo von der Lühe Equiti Meclenburgico, Stephano Hanio Pastori Aulico, D. Joachimo Kistmacher Consuli Güstrov. M. Zachariæ Schröder Pastori Paroch. Güstrov. M. Joachimo Albino Pastori Warnemundano, M. Andreæ Bötticher Pastori Boitzenburgensi, Heimrado Grapio Pastori ad æd. Sp. S. Güstroviensi, M. Adamo Müllero, Pastori Basedoviensi, M. Urbano Beython Pastori Zarmstorpiensi (& hoc intermoriente) Petro Zandero Pastori Dobbertinensi, Winhold Dinckgraff Oeconomo Güstrov. & Johanni Christophoro Thilen Visitationis Notario, qui distributis in IV. classes Diœcesibus quadripartito obirent Ecclesias deque studiis, officiis singulorum, de rationibus, reditibus, dispensatione aliisque ad commodum Ecclesiarum & Scholarum pertinentibus rebus accurate inquirerent. Hâc ratione ipsa hæc Civitas Censuram Episcopalem subiit, cum amplisss. urbis Senatus jura sua Ecclesiastica circa Templum Parochiale & sacra Hospitalia Spiritus Sancti & D. Georgii probare, deque horum ad-

administratione rationem reddere juberetur: tum consiliis ultro citroque habitis anno 1662. in eum res rediit locum, ut partim confirmarentur Magistratui oppidano jura pristina, partim permutarentur. Hoc pacto jus Patronatus templi Parochialis una cum sacello D. Gertrudis suburbano Civitati nostræ adjudicatum vindicatumque est; Cætera vero Dux sua sibi voluit esse. Acquievit Ampliss. urbis Senatus in ejusmodi transactione atque permutatione, Diplomate pragmatico ornatus atque munitus. Dux autem Serenissimus utrumque Hospitium tam intra quam extra urbem pro egenis ac infirmis hominibus consecratum ab illo tempore nitidius commodiusque attemperari jussit & multis beneficiis atque accessionibus auxit. Accessit novissimo tempore *Nosodochii* peculiaris Constitutio, quod præter cæteras tabernas ann. 1700. seorsim est exstructum, consilio inprimis atque operâ *D. Georgii Detbardingii* Archiatri Aulici, cui sumtus ad id erogavit Princeps, dum vivebat, successoribusque suis magnopere commendavit ejusmodi operis delineati inchoatique consummationem, ut patet ex Literis fundationis. Inter hæc Schola quoque nostra magis luculentam induit faciem, jussu atque auctoritate Ducis Nutritii sui sic instaurata

& amplificata, ut Gymnasii solidioris figuram repræsentare posset. Namque Princeps literatissimus in consilium adhibuit Viros, quos scivit, rei Scholasticæ peritissimos, inprimis *Christophorum Schraderum* Profess. Helmstadiensem, quem consuluit per literas; atque domesticos, qui fuerunt à latere, Consiliarios, *D. Justum Brüningium* Cancellarium & Consiliarium intimum, *Johannem Fridericum de Lehsten* Cancellariæ Directorem, nec non Theologos *Danielem Janum* hic Superintendentem, *Stephanum Hanium* Pastorem Cathedralem aulicumque, *Josuam Arndium* Concionatorem aulicum, & Joh. *Franciscum Clausingium* Pastorem hic Parochialem: quibus negotium dedit penitus scrutandi statum Scholasticum; & salutaria, quibus opus esset, remedia providendi. Tum revidebantur omnes Constitutiones Scholasticæ ab *Ulrico* & *Johanne Alberto II.* Ducibus olim promulgatæ, quæ partim antiquatæ, partim interpolatæ sunt, prout usus atque tempus præsens postulare videbatur. Cœpit ipsum Scholæ ædificium aliter accommodari, classes contiguæ parietibus intergerinis a se invicem discerni, magistri alia methodo instrui stipendiisque sufficientibus ornari, & nova Constitutio Scholastica publicari. Dies erat XXIV. Novembr. anni

ni 1662. quo solennis Scholæ inauguratio ipso præsente Duce, insolitâ clarissimorum Virorum comitante frequentia, peragere-tur. Et ut hæc omnia rata in posterum forent, nec temere quisquā a præscriptâ normâ recederet, constituebantur certi Scholarchæ, inter quos primas tenebat Superintendens Güstroviensis: cui ex arbitrio Ducis adjungebantur pro tempore, *Jacobus Schertlingius* Consiliarius Aulicus, *D. Henricus Schmidius* Archiater & Consiliarius; *D. Joachimus Kistmacherus* Consul Güstroviensis senior, Viri de Ecclesia, Academia & Republica optime meriti, literatura & rerum usu satis spectati, morumque integritatis ac divini cultus amantissimi. Atque his auspiciis, hoc fundamento stetit adhuc statque præsens *Gymnasii Güstroviensis* ratio: quod uti munificentiâ tantorum Principum constabilitum est, ita curæ etiam ac beneficentiæ hujus nobilissimæ Civitatis multum debet, quæ tanto magis suspicienda est, quanto minus benignitatem suam, de Majoribus maximopere prædicatam, sequiori nunc tempore in Ecclesias Scholasque (quapropter a DEO conservantur Politiæ) claudi, pietatemque avitam in deterius abire unquam passura est Civitas. Interea bis *Jubilæum* celebravit Güstrovia. *Alterum* in templo Hospitali S. Sp. S. ann. 1664. *Jubilæa Güstroviensium particularia Ann. 1664. & 1668.*

1664. d. 20. Decembr. in memoriam ann. 1564. factæ post Papatum Reparationis & primæ Prædicationis Evangelicæ indeque per centum annos divino beneficio conservatæ. confer. superius Period. III. §. XIII. *Alterum* in Templo Cæciliano s. cathedrali ann. 1668. Dominicâ post Circumcisionem proximâ (tum quidem d. 5. Januar.) ut pariter in memoriam revocaretur auspicium instaurati in hoc templo anno 1568. reparato Evangelii. vid. superius Period. III. §. XI. Utrumque diem utrobique festum esse voluit Princeps noster Sereniss. Gustavus Adolphus, ideoque ad agendum devotas Numini Divino gratias solenniora sacra indixit.

§. XXIV.

Güstroviæ ornamenta ac beneficia a Sereniss. Duce Gustavo Adolpho profecta.

Cæterum in rebus Politicis ea usus est ratione *Gustavus Adolphus*, quæ Sapientem Principem maxime decet, quæque insigni Ornamento cessit Güstroviæ, totique Provinciæ Meclenburgicæ. Namque collegiis omnibus, inprimis secretioris consilii & sanctioris justitiæ, viros præfecit nobilitate generis & scientiarum doctrinâ rerumq; usu ac vitæ sanctimoniâ per-quam illustres. Nam quia Princeps ipse ea fuit subtilitate mentis, ut quam accuratissime de rebus omnibus judicare posset, nonnisi per

cor-

cordatiores negotia sua administrari voluit. Quibus rebus factum est, ut & maximis Europæ Principibus tum valde probaretur Aula Güstroviensis. Longum est hic recensere omnes, qui olim vel a latere, vel a consiliis, vel a reliquo ministerio fuere Ducis nostri; & abs quibus non parum ornamenti accepit Güstrovia; recensebimus autem in Appendice Biographicâ singulos. Ipsa vero civitas hæc ab auspiciis tanti Ducis multô, quam antea, nitidior cultiorque evasit. Et quemadmodum *Cæsar Octav. Augustus* olim Romam suam accepisse lateritiam, sed reliquisse marmoream perhibetur à *Suetonio*; ita *Güstroviam GUSTAVI ADOLPHI* nostri ætate lateritiam esse factam, vere prædicare possumus, quæ antea stramineis fere tectis uteretur, & subrusticis passim ædificiis constaret, jam vero nitidius exsplendescere inciperet. Institutis præterea politioribus exculta & morum elegantia præ cæteris provinciæ urbibus ornata civitas hæc complures allexit e nobilitate familias, quæ domicilia in ea deligerent indigenasque nostros insigniter locupletarent. Inter salubriora autem instituta præcipue referas, quæ hic incendiorum causa excogitata atque constituta reperiuntur. Civitas enim nostra e multis vicinarum deflagrationibus (*) sapien-

(*)

pientior reddita, tandem providis eorum consiliis lubens obtemperavit, qui legibus veterũ ad arcenda incendia olim latis minꝰ contenti, funesto isti malo remedium novâ arte quæsiverunt. Facile annuit ipse Princeps & ejusmodi senatusconsulta de avertendis & restinguendis incendiis non comprobavit modo, sed & imperavit edictisq; pragmaticis omnia, ut perpetuo valerent, firmavit & stabilivit; imitatus in hoc quoque negotio *Octavium Augustum*, qui, cùm incendia multa fierent Romæ, in XIV. vicos distribuisse & procuratores vicorum nocturnosque urbi custodes ad prohibenda incendia, constituisse legitur apud *Dionem*. Plurimum igitur debet hæc civitas in hoc genere tanti Principis, & secundum Principem eorum vigilantiæ, curæ atque diligentiæ, qui salutis publicæ causa id procurarunt, ut *Güstravia* expers redderetur multæ calamitatis. Nam quid valeant hic machinæ incendiorum sedandorum causa inventæ, experientia in hunc usque diem satis superque docuit: nec amplius quicquam in his casibus desiderari videtur, quam Aquæ ductus commodior, à posteritate forsan olim, si fata sic tulerint, excogitandus.

(*) Haud scio, an ulla Germaniæ provincia tot incendiorum cladibus unquam fuerit

affli-

afflicta, quot hæc Meclebugensis, in qua vix erit seu civitas seu civitatula, quæ non exustam sese queratur proximis abhinc L. annis, una *Güstrovia* excepta, quæ adhuc divina benignitate & provida civium curâ salva atque incolumis ab omni ignis injuria mansit. Namque *Suerinum* ann. 1651. d. 18. Jul. ex lino torrefacto tantas concepit flammas, ut 160. ædes cum curia & molendino absumerentur: quæ nobilissima urbs paucis abhinc annis denuo incendium perpessa est. *Sternberga* anno 1659. d. 23. April. funesto incendio amisit cum Curia & Cancellaria aulico-provinciali omnes habitationes suas, vix una excepta taberna. *Gnoja* 1659. d. 21. Novembr. 76. ædes exustas numeravit. *Cribitia* anno 1660. die 25. Febr. tota deflagravit militum Cæsareanorum hospitio exceptorum incuria, quibus tum *Caprara* Tribunus præerat: nuper anno 1703. easdem flammas experta *Lübitia* anno 1660. d. 12. Mart. 44. ædificia in cineres redacta deploravit, militum quoque peregrinorum scelere: quæ haud ita dudum parem, si non majorem, sensit calamitatem. *Malchinum* anno 1663. d. 3. Jun. exorto incendio amisit potissimam sui partem, templo tamen atque curia servata. *Domitia* anno 1664. d. 5. Jun. fulminis ictu tota fere conflagravit cum templo atque curia. *Neocalda* ann. 1666. d. 24. Sept. exusta desideravit ultra 60. habitationes. Anno 1676. *Neo-Brandeburgum* & *Stargardia* una die, in ipsis Vigiliis festi SS. Trinitatis, igni misere vastabantur; & mense Junio ejusd. anni *Streliz* & *VVesenberg* civitatulæ eandem

dem miseriam expertæ sunt. Anno 1677. d. 11. Augusti *Rostochium* metropolis, 36. horarum intervallo 744. ædes majores rapidissimo incendio deletas doluit, illumque casum unà doluerunt è vicinia complures alii, qui, cùm adversus belli Suedo-Pomeranici injuriam fortunas suas resque pretiosas eodem in tuto collocatas fidei Rostochiensium credidissent, tum plerasque ibi flammis credidisse intellexerant. Eodem anno 1677. *Goldberga* flammas vastatrices passa, nil nisi templum & arcem servavit. *Büzovia*, sedes olim Episcoporum Suerinensium, ann. 1679. d. 28. Decembr. haud exiguam sui partem rapidissimo igni consumptam meminit. *Parchimum* anno 1684. media æstate in flammas abeuntem vidit totam neapolim suam, & non multis post annis magnam quoque palæopoleos suæ partem. *Plavia* anno 1696. d. 6. Nov. totam sese exustam, desideratis 133. ædibus, & vix dum e favillis resuscitatam conqueritur. Succedentibus annis, iisque fere singulis, successere *Varena*, *Cracovia*, *Malchovia*, *Teterovia*, *Fridlandia*, *Grivitia*, πανωλεθρίαν suam adhuc lamentantes.

§. XXV.

Novatorum quadam molimina Güstroviæ irrita facta.

Quemadmodum vero alia, ita & Ecclesiastica tum temporis in optimo erant statu *Güstroviæ*, inque cassum abibant eorum, qui novi aliquid in Religione molirentur, conatus: excubantibus enim strenue pro fidei puritate Theologis nostris, nil quicquam

quam nocere potuerunt gregi insidiantes lupi. Accesserat quidem anno 1673. seqq. missionarius aliquis, Jesuita Hildesiensis, nomine *Casparus Sevenstern*, qui novis instructus technis scrupulum injicere voluit, illudque imprimis persuadere ausus est animis illustribus, *non esse legitimos, quos haberemus in Ecclesiâ Lutheranâ, Verbi Divini Ministros.* Et parum aberat (nam quid Curiositas humana sæpe non permittit?) quin res ad colloquium publicum perveniret in Basilica hic cathedrali: parati erant *Principis* indultu nostrates (*D. Michaël Siricius* præ cæteris), at Jesuita, qui antea magnopere id flagitasse videbatur, tandem, ubi serio agendum, detrectavit ejusmodi congressum, atque ita multum de existimatione sua perdidit: nec quisquam repertus fuit in hac urbe, qui ipsius, quæ dederat, verbis fidem habuisset, præterquam quod extra Güstroviam è Nobilitate Equestri quosdam magni Nominis in suam ille nassam illexerit. Interim hæc res, ut fieri solet, locum dedit multis disputationibus in utramque partem ventilatis ac divulgatis (*a*); at maximum tamen pondus ad tollendum omnem dubitationem accessit e Theologi nostri incomparabilis *D. Michaelis Siricii Ostensione Abominationum Papatus circa religiosum creaturarum cultum*

rum edit. anno 1687. cum Supplemento D. Valentini Alberti, Profeß. Lipſ. Iisdem fere temporibus apparuit hic quidam *J. Lyſerus* homo vagus, & aliquid monſtri alens, clariſſimis licet Parentibus ac majoribus ortus & ipſe aliquando Eccleſiaſtico munere alicubi functus: qui præter cæteros Güſtrovienſibus etiam Polygamiam perſuadere ſtudebat; idem vero, quod proterve hic multa effutiret, in jus vocatus & a Magiſtratu examinatus, eum & enormia multa, nec ad præſentem Politiæ Chriſtianæ ſtatum convenientia loqueretur, tandem coram Judicio increpitus conſilium abeundi reportavit, atque ita vix evaſit ex infeſtis plebeculæ manibus, ſibilo ipſum lapidibusque conſectantis. Hinc ad Bremenſes profectus, *Stadæ* mulierculas quam maxime irritavit & *Johanni Diecmanno* tum Schol. Rect. poſtea Superintendenti per Ducatum Bremenſem generali, anſam dedit diſputandi ac refellendi. Inde ad Septentriones delatus *Haffniæ* confutatorem invenit *Severinum Walterum Slüterum* (Cancellarii noſtri *Slüteri* filium, tum vero Gimbricæ Reginæ Viduæ Concionator. aulic. poſtea Superintendentem Lauenburgicum) qui edidit anno 1677. in Octav. *Diſſertationem de Polygynia*, (Theologiſche Gedancken über die Polygy-

lygynia oder von dem Nehmen vieler Weiber) germanico idiomate conscriptam: quo Tractatu non tam falsa Lyseri destructa, quam vera nostra vindicata videntur *Joh. Georgio de Kulpis* in Collegio Grotiano super jur. belli ac pacis pag. 56. 57. (β) Tandem *Holmiæ* eadem de causa in crimen vocatus catastrophen dedit fabulæ minime optatam. Sed revertor Güstroviam. Anno circiter 1686. alius quispiam e Papatu homo Monasticus, nomine *Johannes Adamus de Waltz*, natus s. dictus de *Buchheim*, Moguntio missus huc venit vel explorandi vel suos confirmandi gratia: qui autem Stavenhagæ in diversorio aliquo sicarius factus & in vincula propterea conjectus capitisque tandem damnatus, anno 1687. dignum homicida supplicium dedit, præfractus religionis nostræ contemtor. His discussis super Horizonte Ecclesiastico nebulis, fuerunt & aliæ nonnunquam tempestates, quibus urbs hæc conflictata memoratur, sed quæ vel ab aëris vel telluris difficultate quadam exortæ sunt. Anno enim 1662. & rursus 1684. insolita agrorum sterilitas maximam annonæ caritatem peperit, quæ cum alios, tum Güstrovienses vehementer premeret. At longe durior graviorque extitit illa, quæ Anno 1699. nos affligebat, cum tanti pretii esset fru-

(β) | A. 1686. | Tempestates graves ac ominosa? | A. 1662. | A. 1684. | A. 1699.

frumentum, ut medimnus siliginis Güstroviæ duobus thaleris propemodum veniret, qui anno 1700. & seqq. vilescente rursus annona vel 16. vel 12. solidis Lubecensibus (Lüb. ßl.) emeretur. Verum haud scio an ulla tempestate magis unquam perculsa fuerit hæc urbs, quam Anno 1694. in adulta æstate, cum ad maturitatem jam pervenissent segetes & agricolæ ipsis in horrea convehendis operam darent, tum sub seram, quæ diem IX. August. terminabat, vesperam obnubilato cœlo, inter tonitrua & fulgura concretæ grandinis lapilli ovorum instar columbinorum, quin & gallinaceorum, decidére: qui insolito cum fragore strepituque tegulas & fenestras ædium privatarum æque ac publicarum miserandum in modum percusserunt atque eliserunt, ita, ut damnum videretur irreparabile. Cujusmodi calamitas tanto magis fuit ominosa, quod Horizontem Güstroviensem fere solum attingeret. Parem, si non majorem, nobis ruinam minabatur procella nuperrima, quâ Anno 1703. die VIII. Decembr. tempestuosius furente Zephyro turricula templi cathedralis hic dejiceretur & ædes pleræque apud nos detegerentur; sed hæc tempestas viciniores urbes maritimas magis afflixit.

A. 1694. (margin, beside "fuerit hæc urbs, quam Anno 1694.")

A. 1703. (margin, beside "nuperrima, quâ Anno 1703.")

(a) Huc

(a) Huc spectant Synodi Stargardiensis (h. e. Superintendentis *M. Francisci Clingii* & reliquorum in districtu. Stargard. & Neo-Brandenburgensi Pastorum) Monita atque Responsa Theologica ad Generos. Dn. C. P. H. Hujus Antigrapha, & Gallicinium illud Basedoviense, non typis quidem publicis excusa, at calamo tamen multoties descripta & longe lateque dispersa. E Typographeo autem Güstroviensi prodierunt: *Josua Arndii Pastoris Aul. Apodixis Thetica, quod in Ecclesiis Evangelicorum sic dictis verus, legitimus & ordinarius detur Minister tum ordinationis tum Absolutionis*, in forma Epistol. ad R. B. Anno 1678. a. d. 26. August. constat 27. Thesibus. *Item Godofredi Voigtii* Rect. Gymn. Güstr. Disputatio Theol. *de Communione sub utraque specie 1678. Ejusdem altera Exercitatio Theologica de Presbytero legitimo Ordinat. Ministro.* 1680. Eadem quoque controversia solicitam habuit Academiam Rostochiensem, in qua insignis *Theologus D. Augustus Varenius* Anno 1682. Disputationem edidit *de Presbyterorum clericorum dignitate & Potestate ordinandi.* Güstroviæ autem ingeniosus quidam Poëta *P. Casparo Sevensternio* adventum gratulabatur hoc carmine:

In Patrem Casparum Sevensternium Jesuitam Hildesiensem, cum is d. 15. Decembr. Ann. 1673. Aula Güstroviensi se sisteret:

Septem stellæ errant, ubi cœlum mobile pendet,
Et manet in nullo stella planeta loco.

O Uni-

Unicus at CHRISTUS supremi Lucifer orbis,
Ac gregis electi Phosphorus ipse sui,
Constat & æterno populi regit agmina verbo,
Dum micat in certo spe præeunte loco.
Errans stella vale! Salve pie Phosphore Jesu!
Tu lucem fixam sensibus adde meis.
At vos, qui septem stellas errare videtis,
Ducet! quam ducet vos vaga stella viam?

(ß) Merito suo explodendus erat *Lyserus* ille, qui, quod ipse, quantum erat tenuitate, nec uni quidem mulierculæ in thoro alendæ sufficeret, aliis tamen viris plures una uxores simul ducendas persuadere conaretur. Idem vero, cum sub *larva* modò *Theophili Alethæi* & *Alethæophili* repetitis vicibus in Discursu polit. de Polygamia edito; modo *Sinceri VVarenbergii*, in Dialogo de Polygamia, disseminaret nonnulla, quæ carnalibus atque dissolutis hominibus salivam moverent, dignus omnino videbatur, in quem calamos suos stringerent Viri Theologi egr. *Johannes Musæus* in Dissert. adversus Theoph. Aleth. *Balthasar Menzerus* im kurtzen Bedencken über Sinceri VVarenbergii Gespräch von der Polygamie. *Michael Siricius* de Uxore una. *Fridericus Gesenius* in Differtat. Epistol. ad VVahrenberg. qua Candidi Vigilis personam induit. Addantur *Brunsmannus*, *Dieckmannus* & *Slüterus*.

§. XXVI.

§. XXVI.

Inter hæc acerbissime tulit Güstrovia luctuosum deficientis Serenissimæ stirpis casum, senescente *Gustavo Adolpho* Duce, nec Hæredem masculum throno suo relinquente. Non omnino quidem defuerant nobis Sereniss. propagines, sed heu! in tenero partim, partim adulto ætatis flore marcescentes. Lugebat enim Güstrovia, *Johannem* primogenitum Principem filium anno 1660. d. 6. Februar. modo quinquennem e vitâ discessisse, atque *Eleonoram* primogenitam principem filiam anno 1672. d. 24. Febr. XV. ætatis suæ anno in eandem se dedisse viam. Mœrebat *Carolum*, confirmatæ maturæque ætatis Principem, maximum Decus & Columen Mecleburgense, qui positis jam tyrociniis, perlustratisque exterorum terris ac magnorum Principum aulis, ipse cogitaverat de conservanda avita familia, & cum Sereniss. *Maria Amalia* Brandenburgica auspicatissimum contraxerat matrimonium anno 1687. die 10. Augusti, paulo post Annum 1688. d. 15. Mart. proh dolor! pustuloso morbo extinctum, præmaturum sui reliquisse desiderium anno ætat. 24. Dolebat, Sereniss. Parentem filio unico superstitem tanto vulnere tantopere confectum esse, ut & ipse languere inciperet brevemque vitæ usuram promitteret,

Güstroviæ fata novissima, senescente ac moriente Gustavo Adolpho Duce glorios.

teret, ideoque acerbius fatum subditi suspicarentur. Vidimus quidem, & cum voluptate vidimus Sereniss. Ducis filias augustis magnorum Principum complexibus cooptari. Suspeximus Regem e Septentrione huc divertentem An. 1695. nuptiasque Sereniss. LOYSÆ ambientem. At minus diuturnæ hæ fuerunt lætitiæ, cum interea Optimus Dux *Gustavus Adolphus* lento debilitatus morbo Ann. 1695. d. 26. Octobr. triste nobis diceret vale, anno ætat. 63. regiminis 42. Princeps magnanimus, sapiens, doctus, religiosus, cujus exanimum corpus Anno seqv. 1696. d. 18. Mart. publicis tantoque Principe dignis exequiis in Basilicâ cathedrali nostrâ Mausoleo suo inferebatur. Secutæ sunt non multo post beata Parentis sui vestigia Sereniss. Principes filiæ *Maria* Strelicensi Duci *Adolpho Friderico* nupta, & *Magdalena* innupta: quarum illa anno 1701. d. 18. Februar. diem suum obiit, celebratis Güstroviæ exsequiis, exuviisque in beatiss. Parentis tumulum illatis. Secuti sunt paulatim eâdem quoque viâ Principem suum multi Ministrorum primi ordinis, brevi annorum intervallo emorientes. Memoria autem tanti Ducis vigebit & prorsus erit immortalis: quippe qui inter Principes literatos principem tenet
(a) locum (a), & cujus Eruditio tanto magis
est

est suspicienda, quanto penitius ille indagavit vera, divina, cœlestia aversatus falsa, superstitiosa, vana (b). Nam licet a teneris annis exercuisset animum in quocunque scientiarum & doctrinarum genere, latinæ, Gallicæ Italicæque linguarum peritissimus; maxime tamen, quoad vixit, versatus est in contemplatione rerum divinarum, Ebraice & Græce quoque doctus, quantum scilicet usus sacrarum literarum requirere videbatur. Sentiebat enim recte cum D. Augustino: *Mens illa beata, quæ ima deserit, summa petit, quæ ponit in arduis sedem habitationis suæ, & de summis rupibus contemplatur solem justitiæ aquilinis obtutibus.* Præcipue igitur memoriam hujus Principis immortalem reddunt *Carmina ipsius sacra & variæ Meditationes metricæ* h. e. Die geistlichen Reim-Gedichte / deren 100. Heroische und 100. Gesänge/nebst einem Anhange von allerhand Teutsch- und Lateinischen Geistlichen Betrachtungen ꝛc. ꝛc. jam ante beat. ejum obitum editæ, post vero jussu Sereniss. Ducis Viduæ *Magdalenæ Sibyllæ* iteratâ editione aucta & recusa cum Præfatione magni Rostoch. Theologi D. Johannis Fechtii. (b)

(a) Quod si Literatorum Principum Catalogum quendam hic struere animus esset, non

facile ullam Europæ Provinciam fore crediderim, quin ejusmodi Personas illustres in Theatrum proponere possem. Vel sola Germania quantam suppeditaret spectandi copiam? At nobis hic satis erit demonstrasse nec Genti Mechlenburgicæ defuisse literatissimos Principes, quorum eminentiores novenarium constituere possunt numerum:

1. *Godescalcus* Obetritarum Rex inclytus Seculo XI. hic rerum potitus, adolescens adhuc Luneburgi latinarum artium disciplinis eruditus, postea tanto religionis divinæ exarsisse studio dicitur, ut sermones sacros ad populum frequenter in Ecclesia ipse fecerit, & quæ ab Episcopis vel Presbyteris mystice dicebantur, Slavicis verbis redderet planiora. Hac vero ratione cum barbaros ad fidem Christianam convertere niteretur, velut alter Maccabæus in urbe Leontio (vulgo Lentzen) VII. idus Jun. anno 1066. cum Presbytero Eppone aliisque clericorum multis inter Sacra immolatus perhibetur. Helmold. Chron. Slav. lib. I. c. 19. 20. 21.

2. *Johannes Theologus*, Princeps Mecleburgensis, qui ineunte Seculo XIII. adhuc puer ab Avo Henrico Burvino I. Lutetiam Parisiorum missus, prima ibi literarum rudimenta accepit, tantumque profecit, ut Supremam Theologiæ lauream impetraret. Cumque per annos ibi viginti in studiis versatus esset, in Patriam redux capessivit rempubl. irrisione suorum literas contemnentium vulgo quidem *Knees-Janike* appellatus, at bonis tamen omnibus merito probatus. Utque extaret aliquod de hujus Principis

Theo-

Theologi literatura monumentum, Codicem Sacrorum Bibliorum integrum sua ipsius manu descriptum consecravit donavitq; Monasterio Duberanensi ad pios usus. Nicol. Mareschall, Annal. Herul. lib. V. c. 1. Alberti Cranz. Vandal. lib. VII. c. 16. & 42. Chemnit. Geneal. Duc. Mecleb.

3. *VVilhelmus*, ultimus Venedorum apud nos Princeps, qui literis ab ineunte ætate dicatus iisque in Academia Pragensi Joh. Hussi temporibus initiatus ac probe imbutus, postea inter Canonicos Güstrovienses primum locum invenisse ac tandem ad Rempubl. accessisse memoratur superius Period. II. §. 13.

4. *Ericus*, Princeps Mecleburgensis, *Magni II.* Ducis filius, qui sub auspicium Seculi XVI. ingenio prudentiaque clarus Bononiæ & Rostochii publice optimarum Artium studiis operam navavit, atque in hac (Rostoch.) Academia aliquoties Rectorem egit Magnificentissimum, sed præmaturo eheu! fato abreptus Anno 1508. ætatis 25. magnum sui desiderium reliquit. Nicol. Marschall. Annal. Herul. lib. VII. c. ult.

5. *Magnus*, Dux Mechleburgensis idemque Episcopus Suerinensis, *Henrici Pacifici* filius, cujus magnitudinem ingenii admiratus est Philippus Melanchth. vide Superius Period. III. §. 9. not. (*u*)

6. *Johannes Albertus I.* Dux Mecleb. cognomine doctus, quem eadem Period. III. §. 14. (*a*). laudavimus tanquam auctorem *Meditationis de morte.* Addenda: Princeps hic non tantum in facultate Oratoria multum profecit, sed etiam in mathemati-

cis disciplinis tantos fecit progressus, ut omnes stellarum positus, planetarum motus, adeoque universam corporum cœlestium rationem calleret exactissime. Hinc factum est, ut nonnunquam animi recreandi gratia nocte intempesta vehiculo insidens cum *Tilemanno Stella*, Mathematico insigni, astrorum positus contemplari eorundemque intuitu sese oblectare soleret. VVeinrich. in Orat. de idea boni Principis Lipsiæ ann. 1604. habit. cum Adolphus Fridericus Dux Mechelburg. ibidem Rector Academiæ crearetur.

7. *Ulricus*, Dux Mechelburg. Güstroviensis specimen ingenii doctrina expoliti edidit, ubi Librum de præcipuis Christianæ Doctrinæ capitibus Anno 1594. in IV. in lucem emisit. vide superius §. XIV. (γ).

8. *Christophorus* Dux Mecleb. & Episcopus Raceburgensis, conscripsit ediditque Tractatum *de Veteri Philosophia*, uti superius §. XIV. (β) dictum.

9. His vero omnibus palmam præripuisse videtur beatiss. *Gustavus Adolphus*: id quod luculentissime patet e Consummatiss. Theologi nostri *D. Johann. Fechtii* Præfatione, Hymnis ac Meditat. sacris ejusdem Principis præfixa.

(*b*) Huc imprimis spectat solicita religiosi Principis cura, quam in evellenda ex animis simpliciorum superstitione adhibuit. Quapropter Synodalem Inquisitionem institui, certasque inquirendi formulas omnibus Ecclesiæ Pastoribus præscribi ac remedia adversus omnes superstitiones suppeditari curavit; id quod non solum Decreta an-

no

no 1663. 1664. seqq. publicata; sed & specialiora testimonia, quæ adhuc in promtu sunt, satis superque docere possunt.

§. XXVII.

A morte *Gustavi Adolphi* gl. m. Ducis quæ rerum commutatio facta sit Güstroviæ, commemorare hic supersedemus, cum omnia in recenti adhuc memoria versentur. Ut vero Benevol. Lector rerum hactenus commemoratarum ἀνακεφαλαίωσιν aliquam accipiat, subnectemus celeberrimi in Gymnasio nostro Rectoris *Joachimi Ottonis* Orationem Panegyricam de *Fatis Güstroviæ* Anno 1701. d. IV. Augusti, in Actu solenni maximaque Auditorum frequentia, præsente illustr. Comite *Hornio* Serenissimi Ducis Primario Status Ministro habitam: quippe quæ & omnia de primordiis, incrementis ornamentisque Güstroviæ summatim repræsentabit, & superius dicta tanto magis confirmabit.

Accepimus tandem a Supremo Numine post tot vota, tot suspiria magnum illum Principem, Ducem Serenissimum ac Potentissimum, Dominum FRIDERICUM WILHELMUM, Dominum terris suis hactenus clementissimum, ut noster etiam Nutritius fieret longe benignissimus. Hæsimus hactenus inter spem metumque, variis luctati vicissitudinibus, postquam incomparabilem

J. Ottonis Oratio Panegyrica de Güstrovia fatis habit. 1701. d. 4. August.

Ducem gloriosissimæ memoriæ *Gustavum* nostrum *Adolphum* irrevocabili fatorum lege amisimus. Atque optandum fuisset, ut turbatus tunc animus frustra sibi præsagiisset venturam aliquam mali procellam, inque luctu publico solatium statim attulisset, sicut in aliis terris felicioribus, Hæres certissimus. Verum sedimus aliquandiu velut in tenebris, de futuris admodum sollicititi, luctumque nostrum in aliquot annos protraxit nescio quæ rei calamitas aut difficultas. Faciem corporis præbebamus membris suis dissoluti, sine capite, sine Duce. Quæ lux, quæ gratia affulgere sic poterat illis, qui Pacem amant Reipublicæ, qui fortunam, qui tranquillitatem? Verum enim vero DEUS sit jam benedictus, qui suâ gratiâ rem omnem iterum composuit, nosque ad lucem, discussis tandem tenebris, redire voluit. O quam fortunatum illum diem prædicamus, qui talem iterum nobis Principem dedit, qui sub DEI cura & bonitate adhuc vivit, nobisque spem facit bonitatis suæ amplissimam! Deponamus jam cogitationum curas, quibus in diversa quæque animus huc usque divisus fuit, in adversis plerumque malè sibi persuasus atque cautus. Insigne hoc DEI beneficium agnoscamus, quod eum nobis Principem Dominum concedere voluit, qui terrarum

am-

amplitudine rebus nostris & majorem auctoritatem & successum addere valebit, & non intermittet. Sit ingressus tanti Principis in urbem nostram felix, sit progressus ita ex voto, ut salus rerum ipsius undique quæratur, promoveatur, & in æternum maneat! Et quoniam Güstroviæ ea semper a primis annis obtigit felicitas, ut sub Ducibus suis serenissimis hactenus feliciter succreverit, paucis etiam exponamus jam *Fata Güstroviæ benigna sub Principibus suis*, eâ quidem spe, fore, ut sub tanto jam Principe nostro incrementum rebus nostris majus accedat. Vos interim, Viri Per-illustres, Magnifici, Excellentissimi, & quotquot in Serenissimum Principem, jam Dominum nostrum, pietas congregare huc voluit, quamcunque aurium benevolentiam verbis tribuetis, non mihi Oratori, utpote qui nullus sum, sed in laudem Principis nostri magni atque Serenissimi eo, quo fas est, in tantum Principem amore, conferetis. Ego, licet verba tantæ rei, quam suscepi, non respondeant, id tamen per omnes partes agam, ut parendi voluntate atque obsequii promtitudine, quâ Ducem nostrum Potentissimum excipere oportet, nulli concedam. *Güstrovia*, A. O. si rem altius repetere velimus atque conjecturis quodammodo committere, sicut natales suos Sarma-

matis Venedis sive Slavis debet, qui in locum Vandalorum, jam Seculo V. sedes sibi certatim alibi quærentium, succedebant, ita vocis etiam originem inde trahere non sine causa censeatur. Vox namque est Originis Slavicæ, cujus quidem radix, ipsis etiam Polonis, dialectum quandam Slavicam retinentibus, hodie frequens, varios Etymologicos lusus suppeditare nobis posset; sicut alii etiam vici eandem Venedorum gentem auctoris sui nomine compellare opus habent. Quo seculo condi cœperit *Güstrovia*, mittamus jam, destituti quippe certis rerum monumentis. Non tamen ignobile hoc fuisse oppidum jam Seculo XII. vel ex eo patet, quod eo missi sint ab Ottone Bambergensi Episcopo, Pomeranorum Apostolo, qui converterent etiam *Güstrovienses*, testante Cramero aliisque.
A. 1128. Et latuerit antea velut in tenebris suis *Güstrovia*, simul tamen cum luce Evangelii illuxisse, satis gloriosum est urbi nostræ. Neque dubitandum, jam *Ottonum* Seculo X. in has etiam terras pervenisse Evangelii sonum, cum in hanc curam prorsus incubuerint optimi illi Cæsares, ut ad fidem etiam reduceretur Venedorum gens, erectis jam sub Ottone III. ceu Helmoldus fidem facit, in Obotritorum & Kissinorum provincia variis Ecclesiis. Quæ gratia subinde

de propius accessit Venedis etiam Güstrovviensibus, dum Seculo XI. *Godescalcus* Rex ille Obotritorum Kycinorumque magnus, quò Evangelii cursum magis promoveret, ipse subditis suis salutis nostræ veritatem prædicavit. Dolendum tamen, vicinorum Saxonum aut avaritiâ, aut alia iniquitate, aut ipsa Venedorum pertinacia id esse factum, ne radios suos Evangelium in animis tunc hominum confirmaret, ipso etiam *Godescalco* insidiantium Venedorum nefariâ manu pereunte. Fractâ tandem à Christianis Saxonibus ejectâque partim Henetorum gente sub *Henrico Leone* & *Alberto Urso*, ita fuerunt omnia mutata, ut lucem acceperint terræ Meclenburgicæ pleniorem; & fidei & linguæ jurisque Saxoniæ inferioris. Quæ res licet ultimis Henetorum Regibus id damni attulerit, ut variæ ipsis terræ sint avulsæ, Dominisque aliis parere cœperint, eo tamen cessit, ut animarum salus inde fuerit procurata, divitiis sic divinæ gratiæ largius superfluentibus. Atque *Pribislaus II.* sicut varia, quæ ad cultum DEI pertinent, laudabiliter instituit, ita barbaros Henetorum mores in eam felicitatem correxit, ut sub mansueto tandem Christi jugo omnes conquieverint, relicto velut in fidei suæ testimonium magnæ quondam celebritatis Cœnobio Dobera-

beranensi. Eadem Patris vestigia legit filius Henricus Burvinus I. qui neglecto *Regis* titulo, *Domini* contentus fuit solo nomine, id sibi gloriæ ducens, quod Ecclesiæ membrum esset Christianum. Quanta autoritate, quâ gratiâ tunc apud Principes jam valuerit *Güstrovia*, non possunt ignorare, qui *Henricum Burvinum II.* sedem
A. 1219. sibi hic elegisse recordantur, anno nimirum supra millesimum ducentesimum decimo nono. Ex eo tempore caput suum magis erigere cœpit urbs hæc nobilissima: confluxere cives, surrexere in splendorem ædificia, faciesque rerum omnium lætior
A. 1226. visa est. Exstrui enim tunc cœpit Templum, ut vocatur, cathedrale, in honorem Cæciliæ, quippe cujus Festo universa fere Venedorum hæc aut Herulorum terra nomen Christo dedit, in Sancto baptismatis lavacro, sumtus ædis hujus Sacræ largiente ipso *Burvino*, eâ quidem liberalitate, ut quadragies mille floreni numerarentur: quæ pecuniæ summa in tanta rerum vilitate tunc erat maxima. Ab eodem Principe *jus* accepit atque *Privilegia Suerinensia*, non quidem sine omine, ut nimirum eo respiceret atq; recurreret, unde jus fuit ipsi initio dictum. Sub *Nicolao* s. *Nicoloto I.* Henrici Burevini II. filio, id felicitatis Urbi contigit, ut non tantum variis partibus fuerit

fit amplificata, sed ultima manus etiam ad- A. 1248.
mota structuræ templi Cathedralis, redu-
ctis magis magisque ad pietatis sensum at-
que curam Venedis. Equidem sub *Nico-
lao II.* faciem fortuna mutare videbatur,
dum ob necem *Henrici Modesti*, quam ipsi
in venatione filii intulerant, variæ turbæ
movebantur. Capiebatur ipse *Wizlavus*
Princeps Rugiensis Güstroviæ in Cathedra-
li templo, quò ceu pacis studiosus conces-
serat ad preces suas interim fundendas.
Terrasque ea calamitas depopulabatur,
conjungentibus vires suas Bugislao Sedi-
nensi, & *Henrico Leone Meclebürgensi* Prin-
cipibus, ut è custodia tandem dimittere co-
geretur Witzlaum *Nicolaus* noster. Tan-
tum tamen abest, ut urbs hæc nostra vires
suas interim amiserit, ut aucta potius fuerit
privilegiis prædiisque. Sub *Johanne III.*
purgata fuit Judæis, qui nescio, quâ animi A. 1330.
malitiâ in consecratam Hostiam sævierunt;
terrisque etiam aliis Meclenburgicis expul-
si tandem sunt Judæi omnes sub finem Se-
culi XV. utpote quorum impietas in Deum A. 1492.
atque homines satis constabat, neque un-
quam ex eo tempore recepti fuere, Privi-
legiis antea gavisi amplissimis. Propaga-
ta fuit rerum felicitas sub *Nicolao Balbo*
ejusque filio *Laurentio*, qui dum pacis fue-
runt studiosissimi, rebusque divinis a pri-
mis

nis velut annis admodum dediti, non quicquã commiserunt, unde ægre fieret Güstroviæ, aut a quo sibi metuerent homines, sed in pace rerumque affluentia vixere omnes. Verum, ut sunt rerum vicissitudines, ita sub *Bal-*
A. 1403. *thasare* quidem irritati Lübecenses, oppugnatum iverunt Güstroviam, eâ tamen fortunâ, ut pacem ipsos redimere oportuerit non sine magna vi pecuniæ. Postquam sic ultra ducentos annos continua successionis serie Principum sedes fuisset Güstrovia, decedente *Wilhelmo* ultimo Venedorum Principe, eam mutationem subiit, ut in pace ta-
A. 1436. men remanserit, transeunte simul successionis jure etiam ad Duces Meclenburgicos tanquam ad seminarium suum. Et licet *Henrici Pinguis* ætate, qui solus rerum fasces gessit per terram Meclenbugicam VI. annos, sedes hæc Principum velut vacua relinqueretur, occupata tamen iterum fuit, factâ inter filios divisione, rerumq; abundantiâ floruit. Equidẽ sub *Henrici Pacifici Albertique Pulchri* fratrum regimine eam iterum fortuna novercantem faciẽ induit, ut non
A. 1503. tantum vacaverit sedes hæc Principum, sed
1508. triplici etiam incendio intra decem anno-
1512. rum decursum tota pene urbs absumta fuerit; eâ tamen felicitate, ut paulo post accenderetur fax Evangelii, præferendâ omnibus, velut igne prius purgari debuissent atq; præ-

pa-

pacari hominum animi. Petri namq; sancti-que Pauli doctrina tantis hominum tenebris involuta erat obscurataq;, ut vix crepusculum superesset. Quare in flammas etiam abiit urbis pars maxima, bis circa vesperam quidem ejusdem diei, qui Apostolis hisce sacer est, semel Anno III. tum Anno VIII. Seculi XVI. restabatq; ut tertium etiam immitteretur incendium, finito jam Festo omnium Sanctorum, quo sic magis ad se redirent homines, agnoscentes vanitatem mundi, Lucemque Evangelii, quam DEUS in has terras etiam reducere volebat, eo liberius admitterent, tanquam meliores Sancti futuri. Flammam ergo hanc funestam illud gratiæ divinæ lumen mox secutum est, quod, detectâ sacrificulorum fraude, aperta facie veritatem fidei hominibus ostendit, eamque eo gratiorem reddidit, quo facilior inde ad DEum iterum aditus aperitur. Quæ gratia ut iterum obtingeret etiam Güstroviensibus, pariter effecit *Suerinum*, unde voluntate *Henrici Pacifici* pii viri iique doctissimi Güstroviam profecti sunt, de salutis viâ plenius verba facturi: initiumq; rei factum est in Templo, ut vocant, Parochiali, successu tamen parum felici, ignorantium aut pertinacium multitudine, quibus poterant, viribus resistente. Supervenit tandem *M. Gerardus Oemichius* Westphalus, Theologus certe insignis, Sverino A. 1533.

P huc

A. 1547. huc missus: cujus suadâ, prudentiâ atque dexteritate magis se flecti permisit populus, quasvis furias licet spirantibus adversariis, non tamen contra id valentibus, ne *Oemichius* ille Templi Parochialis Præpositus crearetur, atq; Ecclesiarum per terram Meclenburgicam Superintendens. Restituebantur tunc omnia pristinæ suæ puritati; præficiebantur Ecclesiæ pii Ministri: Scholaq; erigebatur nova & suis Viris tunc spectabilis. Quæ reliquiæ erant adversariorum, non tam ejectæ fuere sub *Ulrico* Duce, quàm sponte sua dilapsæ, elabentibus nimirum clam uno post alterum sacrificulis: Sicq; Evangelium eâ, quâ debet, puritate primus publice explicare cœpit *M. Henricus Piperites* in

A. 1568. Templo etiam Cathedrali, A. 1568. reparato, è Parochiali Ecclesia, cujus Pastor ante fuerat, jubente Principe huc vocatus translatusque. Recepit quoq; sub *Ulrico* illo sedis suæ Principalis urbs Splendorem: Arcisque illa pars, quæ Orientem spectat, ex

A. 1557. flammis etiam suis, quibus A. 1557. absente Duce & in Misniam profecto, conflagraverat, illustrior surrexit, adjectâ simul ædiculâ, quæ sacris Aulicis est consecrata. Quibus rebus tam bonis tam splendidis velut ornamentum quoddam totius civitatis accessit schola hæc illustris, à Principe incomparabili *Ulrico* Germaniæ Nestore pariter fundata, ornata, amplificata. Rectorq; primus

mus fuit *Wolffgangus Leopoldus*, Principum Meclenburgensium in juventute Moderator, elegantis & politi ingenii, doctrinæ pariter & industriæ, testante Davide Chytræo Theologo illo celeberrimo. Adeo omnia tunc floruere *Güstroviæ*, ut nec Principi sua felicitas, nec Ecclesiæ sua salus, nec civitati bonæ leges deessent, quibus continerentur homines ad omnem frugalitatem, vitæque suæ bonitatem. Quæ bonitas Principis hujus *Ulrici* cum tanta esset, hanc etiam ipsi gratiam DEI peperit, ut non solum penes Rempublicam fuerit 49. annos, denatus *A. 1603.* quippe anno ætatis sua 76. sed & memoriam laudis suæ hic reliquerit prorsus immortalem, tot constitutionibus bonis adhuc reliquis, quibus stat Salus Reipublicæ nostræ in rebus etiam Ecclesiæ. Successor quippe *Carolus* frater ipsi datus, quæ statuta erant, non approbavit solum, verum & confirmavit, multisque accessionibus auxit: non Güstrovia, non terra circumjacens prædicare satis potest felicitatem per omnes partes tunc diffusam, quoties memoria rei ex antiquis monumentis recurrit. Successit *Johannes Albertus II.* qui circa *A. 1611.* religionis cultum dum mutare quædam voluit, id consecutus est, ut homines redderentur ad fidem attentiores, magisque fidei suæ probitatem etiam Güstroviæ declararent: sicque vel hoc facto salus hominum

A. 1624. quæsita est & stabilita. In eo tamen infelices fuere omnes, quod non peste solum, cujus rabie periere multa millia, sed bello etiam terra tunc infestaretur prorsus exitiali. Eloquantur illi hæc mala, qui atrocitatem aut cogitatione assequuntur, aut aliquando ipsi experti sunt. Horret ipse animus calamitatis memoriam subire, quam aut metus attulit, aut; ipsa militum licentia, cum hyberna sibi sumeret etiam in his
A. 1628. terris exercitus Cæsareus. Proscribebantur a Cæsare Principes nostri: quâ clade nihil erat intolerabilius: patebant furori hostium, quæ vellent. Duxq; alius Cæsaris nomine, vulgo *Wallensteinius* dictus, huic regioni præficiebatur. Videbatur jam actum de rebus nostris. Præter opinionem tamen evenit, ut severitatem temperaret *Wallensteinius* ille mirâ quadam prudentiâ, quâ non solum res omnes suo loco suisque legibus permisit, sed Güstroviæ imprimis, tanquam sedi suæ splendorem rerumque affluentiam conciliare voluit. Sicque non tam perdidit, quam conservavit, amplificavitq; Güstroviam, ut sedes esset postea Principi justo eo gratior, eo liberalior. Restituta paulo post sedes hæc Principum suo *Johanni Alberto*, licet malorum finem exoptaret, non tamen invenit, dum variante belli fortunâ nunc hi, nunc illi vastitatem terræ inferebant, ipsaq; pestis iterum

quam

quam graviſſime Güſtroviam affligebat. Adeo ad perniciem res velut conſpirabant, quamdiu bellum illud triginta annorum gerebatur. Rediit tandem Lux ſuaviſſima in *Guſtavo Adolpho*, Principe ſane magno & incomparabili, cujus in Regimine dum principium & finis ſummam bonitatis laudem habent, eamq; æternam, æſtimare in proclivi eſt, quantas vires ſub tanto Principe per omnes partes ſumſerit Güſtrovia. Excurrerem eo liberius jam in tanti Principis laudem, niſi in recenti memoria eſſent rerumque bonitate adhuc omnia apud omnes. Non tamen præterire fas eſt, quantâ propenſione, quantâ liberalitate exceperit viros quoscunq; eruditos Princeps ille magno. Excellens quippe ipſe in quovis doctrinæ genere non a ſe alienum putavit, doctos ſibi adjungere, eosdem largiter alere atque in conſilium adhibere, ratus, in eo hominis excellentiam conſiſtere, quod & poſſit numerare atque converſari cum ſapientibus, qui futura proſpiciunt, rerumq; eam rationem ineunt, ut de immortalitate quoq; ſua mature cogitent. Nondum exaruêre lacrymæ, quibus proſecuta eſt tantum Principem hæc civitas noſtra. Atq; ſchola hæc eum Nutritium, eum ſtatorem habuit, qualem antea nunquam. Vidit quippe ſapienter apud animum Princeps ille magnus, non poſſe rempublicam ſatis tutam aut beatam eſſe ſi- A. 1638.

nobis dedisse tanquam restitutorem, rerumq; nostrarum amplificatorem. Gessit hactenus Dominus hic noster potentissimus ita Venedorum nomen, ut propensus etiam fuerit & benignus in salutem hominum hic viventium. Quid futurum jam credamus, cum in totius terræ Ducatusq; possessionem ipse venit? Certe alter ille VVILHELMUS noster, alter erit etiam GUSTAVUS ADOLPHUS, & gloriam & splendorem rebus nostris majorem liberalitate suâ adjuncturus. Quare ad pedes nos tanti Principis nostri jam projicimus; imperata quæcunq; facturi, exclamantes insimul ex omni pectore: *Vivat FRIDERICUS VVILHELMUS magnus, Dominus etiam noster jam clementissimus, ejusq; ingressum comitetur omnis generis felicitas, ut quam longissime vivat ex voto voluntatis suâ juxta DEI voluntatem!* Hujus clementiæ & Bonitati committimus jam civitatem, quæ hactenus sub Principibus suis Christianis felicissime crevit. Hujus fidei, hujus gratiæ & providentiæ etiam scholā nostrā commendamꝰ, certissima spe, fore ut schola hæc, quæ est Principum, & jam FRIDERICI nostri VVILHELMI magni, amplius conservetur, nutriatur, amplificetur, quo DEI in eadem gloriam laudesque Principis nostri Serenissimi exponamus semper, dicamusque vocibus nostris in cœlum usque resonantibus. O æterne DEus, qui es pater rerum omnium, supremusque ipse arbiter, serva nobis hunc Principem tam bonum, tam clementem, quem nobis ipse tribuisti! Confirma in ipsum mentem *Johannis Theologi*, cujus sanguine ipse est satus, atque laudes *VVilhelmi*, quas ille posteritati reliquit! Augeas *Ulrici* perpetuam regiminis felicitatem, vitæque longævitatem! Multiplices tandem *Gustavi Adolphi* sapientiam atque favorem in Literatos bonosque omnes! Sicque æternum vivat FRIDERICUS noster VVILHELMUS.

CATA-

CATALOGUS
GENEALOGICUS.

CUm *Analecta* hæc *Güstroviensia* Parallelismum quendam Historiæ Meclenburgensis contineant, operæ pretium fore arbitramur, si Sereniss. *Ducum Principumq; Meclenburgensium* ex regia *Obetritarum* prosapia descendentium Seriem Genealogicam velut in Tabula hîc repræsentaremus. Non autem ibimus hîc altius, quam vel *Ornamenta*, vel *Incrementa*, vel ipsa denique *Primordia* Rerum Güstroviensium permittunt. Tacebimus igitur *Anthyrios*, *Rhadagaisos*, *Aritbertos* cæterosque Familiam hîc quidem ducentes, at Memoriam Güstroviensem excedentes. A *Bilungo* Rege Obetritarum potentissimo, qui Seculo X. inclaruit, quique primus Christianismum amplexus legitur, ordiemur, & inde haud interrupto Successionis nexu atque accuratiore, quam aliàs factum est, indagine Genealogiam Sereniss. domus Meclenburgicæ persequemur ad nostra usque tempora.

JOHANNES Theologus — NICOLOTUS — HENRICUS — PRIBISLAUS

JOHANNES Theologus vulgo Knees Janicke. Herr zu Mecklenburg, qui studiis literarum incubuit Lutetiæ Parisiorum, supremosque in Theologia honores capessivit. † 1264. pag. 66.

NICOLOTUS Herr zu Werle in Güstrow † 1277. auctor illustr. famil. Werliorum Principum, de quibus special. Tab. sub finem Period. II. exhibita.

HENRICUS Burvinus III. Herr zu Rostock † 1277.

Waldemarus † 1282.

Nicolaus vulgò das Kind zu Rostock. † 1314.

PRIBISLAUS Herr zu Reichenberg und Parchim † 1262.

Pribislaus † 1315.

GODOSCALCUS. Udonis filius. Rex Obetritarum Christianissimus ideoque a Slavis infidelibus tandem obtruncatus anno 1066. vid. pag. 25.

BUTHUE seu ***BUCCO*** Godescalci e Symbulla conjug. filius. Rex Obetrit. cui *Crito* aliquis Rugiorum Princeps à rebellibus subditis in Regimine præferebatur, ab *Henrico* autem fratre tandem sublatus ann. 1105.

HENRICUS Godescalci F. e Syritha Svenonis Daniæ Regis filia natus. Rex Obetritar. christianissimus: *Critonis* Reip. paternæ invasoris occisor. † 1127. suprà pag. 25.

SVENTEPOLCHUS. Rex Obetrit. † 1130. pag. 31.

SVENO. † 1133.

PRIBIS.

PRIBISLAUS I. Rex Obetrit. † 1142.
&
NICOLOTUS I. Rex Obetrit. † 1162.

Buthues ſi non Filii, certiſſime tamen Nepotes, a *Canuto* ſuppoſititio Rege Obetritarum expulſi & non multo poſt, recuperatis Rebus ſuis, ab *Henrico Leone* multa paſſi ſunt, pag. 40. 41. ſeqq.

PRIBISLAUS II. Nicoloti Filius. Rex Obetritarum poſtremus, † 1178. pag. 41. 43.

Wertislaus Obetritar. Princeps ab Henrico Leone ſuſpenſus anno 1164.

Nicolotus Kiſſinorum ſ. Roſtochienſium Princeps. † 1200.

HENRICUS BURVINUS I.

Princeps Obetritarum seu Wendorum & *Dominus* Meclenburgensium, Fürst zu Wenden/ Herr zu Mecklenburg und Rostock. † 1227. pag. 44. 45.

HENRICUS BURVINUS II. Herr zu Werle und Rostock. Fundator Templi Cathedral. Güstrov. † 1226. suprà pag. 49. 50. 53. seqq. — *Nicolotus* Herr zu Mecklenburg. † 1228.

JOHAN.

ALBERTUS I. Dux Mecleburgensis, Comes Suerini, Dominus Rostochii & Stargardiæ: qui, Comitibus Suerinensibus exstinctis, Suerini cœpit residere ab anno 1356. † 1379.

JOHANNES I. Dux Mecleb. &c. &c. Auctor illustr. Famil. Stargard. † 1377.

Johannes † 1418. — *Ulricus I.* † 1417.

Johannes † 1440. — *Henricus* † 1466.

Johannes † 1455. — *Ulricus II.* † 1471

pag. 171.

ALBERTUS II. Rex Sueciæ, Dux Mecleburg. † 1412.	—	**MAGNUS I.** Dux Meclebur-gensis Comes Suerini, Dominus Rostoch. & Stargard. † 1384.	—	**HENRICUS** Suspensor. Dux Mecleburg. &c. &c. † 1382.
				
Albertus IV. — *Ericus* Hæres Sueciæ. † 1423. † 1397.		**JOHANNES II.** cogn. Adolescens, Dux Mecleburg. &c. &c. eligitur Rex Sueciæ sed ante coronat. † 1423.		*Albertus III.* designatus Rex Daniæ † 1387.
				
		HENRI-		

JOHANNES III. — **HENRICUS** *Pinguis* Dux Mecleburgensis, Princeps Vandalorum, Comes Suerini, Dominus Rostochii & Stargardiæ. Heres ex asse factus omnium Provinciarum Mecleburgensium natus 1418. † 1477. vid. pag. 109. 110.

JOHANNES III. Dux Mecleburgensis conjunctim cum Fratre præfuit, quoad vixit. † 1443. sine prole.

Albertus V. — *Johannes.* — **MAGNUS II.** Dux Mecleb. — **BALTHASAR.**

Albertus V. nat. 1438. † 1483. habitavit Güstroviæ. pag. 111. 112.

Johannes. nat. 1439. † 1474. pag. 111.

MAGNUS II. Dux Mecleb. Princeps Vandaliæ, Comes Suer. Dominus Rostoch. & Stargard. natus 1441. † 1503. pag. 112. 113.

BALTHASAR. Episcopus Suerinensis & Dux Mecleburgensis regens a Fratris morte. natus 1442. † 1507. ἄπαις.

HENRICUS Pacificus: — ALBERTUS VI. *Pulcher* — *Ericus* Princeps Meclenburgensis literatus. † 1508.

HENRICUS Pacificus: Dux Mecleburgensis &c. cum Fratre *Alberto* unà fasces tenuit. natus 1479. † 1552. pag. 116. 117. 120. 127.

ALBERTUS VI. *Pulcher* Dux Mecleb. &c. &c. cum fratre *Henrico* conjunctim regens. natus 1486. † 1547. p. 116. 118. 121. 123. 126.

Magnus — *Philippus*

Magnus Episcopus Suerinens. doctissimus † 1550. p. 139. 141. 142.

Philippus † 1557. p. 139.

JOHANN. ALB. I.

JOHANNES	ALBERTUS I. — cognomine Doctus. Dux Mecleburgens. Princeps Vandalor. Comes Suer. Dominus Rostoch. & Stargard. regens Ducat. Suerin. nat. 1525. † 1576. pag. 128. 139. 146.	ULRICUS — Episcopus Suerinensis & Dux Mecleb. regens Ducatum Güstroviensem & Tutorio nomine etiam Suerinensem: *Nestor Germaniæ* appellatus. nat. 1527. † 1603. sine prol. masc. p. 139. 145. seqq.	*Georgius* — Princeps Mecleb. militiæ deditus † 1552.	*Christophorus* — Episcopus Raceburg. & Coadjutor Rigensis Archiepiscopatus † 1592.	CAROLUS Dux Mecl. regens Ducatum Güstroviensem a morte Fratris *Ulrici* † 1610. *ἄπαις* pag. 169.
JOHANNES	IV. Dux Mecleburg. Princeps Vandal. Comes Suerin. Dominus Rostoch. & Stargard. regens Ducatum Suerin. natus 1558. † 1592. in ipso ætatis flore.			—	*Sigismundus Augustus* Dux Mecleburg. &c. improlis † 1609.

ADOLPHUS FRIDERICUS I. Dux Mecleb. Princeps Vandalorum, Suerini & Raceburgi, Comes item Suerinensis, Dominus Rostoch. & Stargard. regens Ducatum Suerinensem & Tutorio etiam nomine aliquantisper Güstroviensem: nat. 1588. † 1658. pag. 171. 172. seqq.

— **JOHANNES ALBERTUS II. Dux** Mecleburg. Princeps Vandal. Suer. & Raceb. Comes item Suer. Dominus Rostochii & Stargardiæ, regens Ducatum Güstrov. natus 1590. † 1636. pag. 171. 172. seqq.

CHRISTIAN. LUD. (son of Adolphus Fridericus)

GUSTAVUS ADOL. (son of Johannes Albertus)

CATALOGUS
BIOGRAPHICUS
PERSONARUM,

De

Ecclesiâ ac Politiâ Güstro-
viensi a tempore auspicatæ
per

D. MARTINUM LUTHERUM
Reformationis
inde ad nostram usque ætatem
bene & præclare merita-
rum,

in Classem

THEOLOGICAM

AC

POLITICAM

distributus.

Benevolo Lectori S.

IN Catalogo hoc Biographico velut in Theatro proponuntur, non quidem Omnes, pleraque tamen Personæ, quarum vitæ curriculum vel e Programmatibus Academicis vel Orationibus sepulcralibus aut Personalibus (ut vulgo vocantur) potuit sciri. Si qua igitur Nomina hîc aut planè omissa aut nudè posita erunt, haud secus interpreteris, velim, quam quod latuerint, nec plura indagari potuerint.

Classis Theologica

(1)

Superintendentium.

I.

M. GERARDUS OEMICHIUS, (Oemicken) Chamâ Westphalus. Hujus Viri (cui primam Restaurationis suæ Ecclesiasticæ partem acceptam refert Güstrovia) prosapia, studia, munia & merita Period. III. §. 8. superius, idque prolixius, exposita reperies. Vixit hic ab anno 1547. *Præpositi Güstroviensis & Superintendentis Meclenburgici* dignitate clarus. † 1562. d. 25. Martii. Superstites habuit è Conjuge *Anna Kochiâ* filios: *M. Franciscum Oemichium*, Scholæ Güstrov. postea Rectorem; & *M. Johannem Oemichium*, SS. Theol. Candidatum, præmaturo fato functum, qui ann. 1568. in memoriam b. Parentis conscripsit Orationem Parentalem superius laudatam, auctor etiam fuit *Epitaphii Oemichiani*, quod hodienum in templo hic Paroch. suggestum contra suspicimus.

II. CONRADUS BECKER, SS. Th. D. qui ann. 1562. in locum demortui *Oemichii* suffectus,

in Æde Parochiali, æque ac Præ-decessor, rebus sacris tantisper præfuit, dum ann. 1568. unà cum Collega *M. Henrico Piperite* ad Basilicam Cæcilianam s. Cathedralem tum demum instauratam & a Pontificiorum sordibus repurgatam, jubente Principe *Ulrico*, transferretur. Idem vero, cum extremo tempore in gravissimam Sereniss. Ducis nostri offensionem incurrisset, impetrata tandem dimissione ann. 1578. Rostochium demigravit, ubi nomen ejus in numero Theolog. Professorum, qui anno 1580. Formulæ Concordiæ publico ac solenni consilio subscripserunt, reperitur. Causam dimissionis ex parte quidem allegavit *D. Christophorus Schleupnerus* in Harmon. V. T. part. 1. L. 2. c. 40. p. 268. b. qui & eundem Superintendentem Hildesiensem, Prædecessorum suorum aliquem (credo, antequam vocaretur Güstroviam) fuisse dicit. confer. *D. Andr. Kesleri* Theol. Cas. Conscient. à Seldio edit. cap. 39. pag. 175.

III. ANDREAS CELICHIUS, Spandaviensis Marchicus, qui cùm Ludo patrio Rector aliquantisper præfuisset, tum Stendaliensis Ecclesiæ Pastor & Veteris Marchiæ Superintendens evasit, in qua constitutus dignitate anno 1580. Formulæ Concordiæ unà cum aliis Theologis Marchiacis subscripsit. Et eodem ipso anno Güstroviam evocatus jussu Sereniss. Principis *Ulrici* Ecclesiarum nostrarum Superintendens extitit. Anno 1592. nuptias hîc celebrasse memoratur cùm Virgine *Annâ Crügeriâ*, Valentini Crügeri Senat. Güstr. filiâ. Multis inclaruit

Scri-

Scriptis, cujusmodi sunt (1) Postilla super Evangel. Dominical. (2) Leich-Begängnissen und Ehren-Predigten II. Tomis in IV. edit. 1591. 1594. (3) XIX. Paßions-Predigten / edit. in IV. 1586. (4) Nothwendige Erinnerung von des Satans letzten Zorn-Sturm / und was es auff sich habe und bedeute / daß nun zu dieser Zeit so viel Menschen an Leib und Seel vom Teuffel besessen werden / in IV edit. 1594. (5) Historie von einer heßlichen Wunder- und Mißgeburt in der alten Marck Brandenburg. Item von einem erschrecklichen Schwefel-Regen zu Stendal / samt einer kurtzen Buß-Predigt / in IV. edit. anno 1579. (6) Emblemata Catecheseos Christianæ, in Versibus Elegiacis, edit. in IV. 1590. (7) Nützlicher und nothwendiger Bericht von den Leuten / so sich selbst aus Angst- Verzweiffelung oder andern Ursachen entleiben und hinrichten / edit. 1578. in Octav. (8) Die Haupt-Artickel Christlicher Lehre nach Ordnung des Luther-Catechismi in kurtzen und deutlichen Fragstücken erkläret / edit. 1581. Güstrov. in Octav. † 1599.

IV. JACOBUS CÖLERUS, SS. Th. D. Berolino vocatus ann. 1599. ubi fuerat Præpositus ad D. Nicolai & Assessor Consistorii per XXXVII. annos, subscripseratque Formulæ Concord. cum cæteris anno 1580. Pater eidem fuit *Jacobus Cölerus* primo Monachus Franciscanus in Monasterio Fribergensi Mishico, qui postea vero una cum *D. Martino Luthero* eodem fere tempore vitæ monasticæ valedi-

xit, Erfurtique sacris Literis operam dedit, Luthero familiarissimus, nec aliter ab ipso salutatus, quam: *Salve Pater.* Tandem in Voigtlandia Superintendens factus istoque munere per XXVI. annos functus, è Conjuge *Magdalena* Dittmarschen 17. Liberorum genetrice sustulit nostrum *D. Jacobum Cölerum*, per XIII. annos hic Superintendentem, qui in Visitat. Ecclesiast. multa præstitit & inprimis jussu Ducis nostri *Ulrici* b. m. Scholam Güstroviensem anno 1602. instauravit editâ Ordinatione Scholasticâ, cujus Præfationis auctor est D. Jacobus Cölerus. Mortuus autem hic est ann. 1612. d. 7. Mart. Reliquit e Conjuge *Ursulâ Teichmanniâ* Gorlicensi apud Silesios patriciâ filios: *M. Johannem Cölerum*, qui primo Pastor Doberanensis, postea Archi-Diaconus Parchimensis, ac tandem Parchimensis District. Superintendens fuit (conf. Witten. Diar. Biogr. ad ann. 1639.); *Jacobum Cölerum*, Med. Doct. & Pract. Güstrov. & filiam *Ursulam* M. Thomæ Tilandro Ecclesiæ Lüssov. hîc in vicinia Pastori nuptam. Obtigit eidem quoque Gener *M. Andreas Angelus* Strausbergensis, auctor Chronici Marchici.

V. LUCAS BACKMEISTER. Rostochiensis. SS. Th. D. natus 1570. d. 2. Novembr. Patre D. Luca Bacmeistero Theologo, Professore ac Superintendente Rostoch. longe celeberrimo; Matre, *Johanna Bordingia* D. Jacobi Bordingii Profess. Med. Rostoch. & Archiatri Meclenburg. postea Professoris Haffniensis & Archiatri Danici filiâ. A pueritia cùm in Scholâ patria clariss. Præceptoribus solide pro-

fecis-

fecisset, anno 1587. Parentis consilio in Academiam Argentoratensem ablegatus perque triennium ibidem commoratus, præ cæteris Melchiorem Junium, Theophilum Golium, Johannem Ludovicum Hassenreuterum, Johannem Pappum, Paulum Crescium Doctores audivit. Hinc perlustratâ Helvetiâ, Alsatiâ omnique superiore Germaniâ Academias Heidelberg. Jenens. Lips. Witteberg. & Helmstad. non præteriit. In Patriam reversus de consensu & voluntate Parentis se totum tradidit Jurisprudentiæ studio; mortuo autem fratre natu majore *Jacobo* Profess. Hebr. Lingu. in Acad. Rostoch. quem Pater studio Theolog. destinarat, mutatâ & suâ & Patris voluntate, animum applicare ad Theologiam cœpit, ut non solum nominis, sed & muneris paterni ex asse hæres aliquando evaderet, quod & propitio Numine ita factum est. Auctus enim Magisterii gradu in Academiâ patriâ tum ad Wittebergenses iterum discessit, & celeberrimis ibi Theologis Hunnio, Gesnero, Rungio Præceptoribus usus in Collegiis publicis atque privatis, in disputando, opponendo, respondendo probe exercitatum sese reddidit. Exacto ita biennio a. 1598. Novercæ in Belgium ad suos proficiscenti comitem sese itineris præbuit, & in Flandriam, Brabantiam progressus, Lovaniensem Academiam salutavit, inque eâ Justum Lipsium vidit, audivit. Inde in Patriam redux factus anno 1601. jussu Ducis nostri *Ulrici* Professionem Theolog. obtinuit, demortuoque Theologo D. Davidi Chytræo surrogatus & anno 1604. Superintendens Districtûs Rostoch. factus gra-

dum Doctoris Theolog. demeruit. Anno 1613. a Sereniss. Duce nostro *Johanne Alberto II.* Güstroviam vocabatur, ut non solum Rostoch. sed & Güstroviensi Circulo *Superintendens* praeesset. Praefuit ita per XXV. annos, inciditque in ea tempora, quibus tanto Theologo maxime fuit opus Güstroviae: namque cum Calvinianis ab anno 1618. & tempore Wallensteinii 1628. sqq. cum Jesuitis hîc certamina erant subeunda, ubi Virum se praestitit D. Bacmeisterus & novitatibus omnibus per Dei beneficium ita restitit, ut puritatem doctrinae mascule hîc vindicaret, quoad vixit. † anno 1638. d. 12. Octobr. E conjuge *Elisabetha* Papken / Rostochiensi, superstites vidit filios: *M. Lucam Bacmeisterum* Theol. Professorem in Academiâ Rostoch. bene meritum ac tandem emeritum † 1679. *Jacobum* Phil. & Theol. Studios. †. *Nicolaum* JCtum; filiasque *Saram* Casparo Kochio JCto & Consiliario Güstrov. *Johannam* Christophoro Hervordio Civi ac Mercat. Rostochiensi, *Elisabetham* M. Petro Willebrando Pastori Eccles. Paroch. Güstrov. nuptas. E Scriptis, quae publici juris fecit, celebrantur (1) Dispp. XXIII. opposit. Decretis Concil. Trident. (2) XIII. Dispp. de Lege divina atque Decalogo. (3) de SS. coena contra Joann. Rhuelium Reformatum Güstrov. germanice. (4) Fasciculus Quaestionum Theolog. & Testimonia Calvinianorum propria, quod quis in Religione Lutheranâ possit salvus fieri. (5) Homiliae Exsequiales cum Principum *Ulrici, Caroli, Annae*, tum aliarum clariss. Nominis personarum memoriis consecratae,

tæ, sparsimque editæ. (6) Encœnia vel Renovalia Güstroviensia h. e. Zwo Christliche Lehr- Denck- und Danck-Predigten für die grosse Wolthaten GOttes / die er der Stadt und Christl. Gemeine zu Güstrow für 50 Jahren und biß daher erzeiget / edit. 1619. confer. Witten. Diar. Biograph. ad ann. 1638. Beato huic Doctori Orationem funebrem habuit M. Daniel Michaelis, Pastor tum Cathedral. postea Superint. Güstroviensis edit. anno 1639. Latine autem parentavit in Auditorio Scholastico M. Georgius Schedius, Rector Güstrov. Memoriamque D. Lucæ Baemeisteri luce publica donavit.

VI. M. DANIEL MICHAELIS, Anclamensis Pomeranus, natus ann. 1591. d. 21. Mart. Patre Henrico Michaele æditimo in Ducheroviensi pago prope Anclamum & Matre Lucia Bandelins. Fratrem habuit *Andream Michaelis*, Ecclesi. Malchinensis Pastorem. In Scholis Anclamensi, Stralsundensi & Stendaliensi bonis literis probe tinctus Academiam Rostochiensem adiit tum magnorum Nominum Theologis Tarnovio, Lubino, Affelmanno aliisque celebrem, Laurumque Philosophicam meritus, postea totum sese studio Theologico dicavit. Accidit vero, ut ipsi Magistro Con-Rectoratus Gymnasii Lemgoviensis aliquando offerretur, cui quidem provinciæ per semestre spatium præfuit, at diutius noluit, amore Studiorum Academicorum flagrantior. Rediit ergo Rostochium studii Theolog. prosequendi gratia. Hinc Wittebergam indeque Lipsiam Erfurdiamque accessit. Salutavit etiam Giessensem &

Marpurgensem Academias, priusquam denuo ad litora Balthica remearet. Cum vero egregiis docendi donis magis magisque inclaresceret, accidit, ut ann. 1620. ad officium *Pastoris* Ecclesiæ Cathedralis Güstrov. Sereniss. Ducis Johannis Alberti II. jussu vocaretur; hic vero ita sese gessit, ut lacessitus nonnunquam à Reformatis aulicis atque Jesuitis Wallensteinianis, parceret neutris, quo sartum tectum servaretur Christi ovile. Expetitus anno 1630. à Stralesundensibus, ut sufficeretur defuncto ipsorum Superintendenti M. Arnoldo Stappenbecio, modeste recusavit: neque Rostochiensibus anno 1632. SS. Theolog. Professionem ipsi offerentibus morem gessit: eademque tempestate Sereniss. & Reverendiss. Brunsuicensium ac Lüneburgensium Principi *Christiano* Postulato Episcopo Mündensi ad Concionem probatoriam clementer ipsum invitanti renuit humiliterque sese excusavit, donec ann. 1639. à Sereniss. Duce Meclenburg. *Adolpho Friderico I.* tum temporis Administratore nostro *Superintendentis munus* per utramque dioecesin Güstrov. & Rostoch. eidem imponeretur. In qua statione Theologica hic consenuit exspiravitque tandem 1644. d. 7. Sept. Scripsit defuncto Orationem funebrem latino idiomate M. Georgius Schedius, Rector Gymn. Güstrov. typis postea vulgatam. Reliquit B. e Conjuge *Margareta Schirmeisteria* (Johannis Schirmeisteri hic Secretarii, Quæstoris & Oeconomi Ducalis filiâ) præter cæteros filium sibi cognominem *Danielem Michaelis* SS. Th. D. & Professorem Rostoch. De Scriptis ejus, quæ vivus edidit,

super-

supereſſe vidi: Conciones IV. *de certâ ſalutis æternæ exſpectatione:* Puncta Religionis inter Lutheranos & Calvinianos controverſa, ſ. Kurtzer Bericht von groſſer Wichtigkeit der fürnehmſten zwiſchen den Lutheriſchen und Calviniſten annoch ſtreitigen Religions-Puncten / edit. 1642. in duodec. Item conciones aliquot exſequiales. confer. Witten. Diar. Biograph. ad Ann. 1644.

VII. M. SAMUEL ARNOLDI (ARNDIUS) Mecleburgenſis, vocatus ann. 1621. ad officium Eccleſiaſticum cathedrale, *M. Danieli Michaelis* in Paſtoratu 1639. & in Ephoriâ 1645. ſucceſſit. † 1655. d. 22. Septembr. æt. 64. E conjuge *Anna Merteliâ* (Erhardi Mertelii Presbyteri hic cathedralis per XX. annos bene meriti filiâ) ſuperſtites eidem fuerunt filii *Joſua* & *Chriſtianus Arndii*, hic Profeſſor P. Roſtochienſis, ille Presbyter Aulicus Güſtrovienſis & Conſiliarius Eccleſiaſt. b. D. Guſtavi Adolphi. Reliquit varias conciones funebres in memoriam illuſtr. & clariſſ. perſonarum habitas lucique publicæ expoſitas: item II. Homilias de Jehovæ ira & miſericordia anno 1630. & 1631. cum inſignis iſthæc rerum omnium viciſſitudo in terris Meclenburgicis occurreret, habitas ex Mich. VII, 7. & Hagg. I, 1. ſqq. Cujusmodi ſacris Meditationibus hoc *ἐπίμετρον* coronidis loco ſubjecit auctor:

Ira DEI tranſit, Clementia durat in ævum,
Eſt largus veniæ munificusque parens.
Hinc iram Domini porta patienter, & ora:
Is cauſam vindex aſſeret ecce! tuam.

Sed

Sed memor ac gratus sacra sic cole templa Jehovæ,
Incola ut æthereæ sis maneasque domûs.

VIII. DANIEL JANUS, Pragâ Bohemus. Pater ei fuit *Bonaventura Janus*, Bohemiæ olim Proquæstor & Vir Consularis, Mater *Lidumila Karbania* von Wolschen: quibus Parentibus natus anno 1611. d. 7. Jul. & post Lanienam Pragensem educatus in illustri Pædagogio Misenensi, deinceps Witteberga, Lipsiæ, Jenæ, Erfurti, Giessæ, Regiomonti & Haffniæ studia Academica ita tractavit, ut plurimum tempus sacris Literis ac Theologiæ tribueret. Anno 1648. a Sereniss. ac Reverendiss. Episcopo Lubecensi *Johanne* Holsat. Duce vocatus ejusdem Concionator aulicus & primus in illo Episcopatu Superintendens factus est Eutini in sede Episcopali. Hinc anno 1656. evocatus a Sereniss. Duce Mecklenburg. *Gustavo Adolpho* p. m. Superintendens in Güstroviensi ac Rostochiensi districtibus atque Consiliarius Ecclesiasticus constituebatur, quibus sacris muneribus summâ cum laude perfunctus ann. 1669. d. 17. Decembr. ex hac vita migravit. Orationem funebrem solennem ei habuit M. Nicolaus Heidemannus Pastor tum Cathedralis, typis descriptam publicis. Ex conjuge *Catharinâ Cassia*, JCti Holsati filiâ, filium Johannem Janum, filiasque Sophiam Annam & Lidumilam, hanc Licent. Godofr. Voigtio Gymnas. nostri olim Rectori, illam Henrico Becmanno Secretario Cancellariæ Güstrov. nuptas, prætereaque Catharinam, atque Mariam Dorotheam superstites reliquit. Edidit conciones aliquot Exsequiales in memoriam Sereniss.

Per-

Personarum partim in Eutinensi, partim Güstroviensi Aula recitatas.

IX. HERMANNUS SCHUCKMANNUS, Rostochiensis, SS. Theol. D. natus anno 1616. d. 16. Jul. Patre *D. Henrico Schuckmanno*, JCto Mecleb. & Sereniss. quondam Ducis nostri *Johannis Alberti II.* Consiliario aulico; tum Professor. Jur, Rostoch. & Ducalis Consistor. Assessore (conf. Witten. Diar. Biogr. ad ann. 1656. d. 17. Sept.) Matre *Anna Strochovia* Patritia Rostoch. Initio quidem extitit Professor Theol. & Assessor Consist. Meclenb. in Acad. Rostoch. per XVI. annos ediditque tum temporis Scripta varia, e. gr. Theologiam compendiosam didacticam & Elenchticam: Disputationes de Decalogo; de Mysterio Paulino; de Pace, de Voluntate Dei benefica, de Actu gratiæ & misericordiæ divinæ certo, libero & gratuito ex Exod. XXIII, 19. de lucta carnis & Spiritus, Galat. V, 17. de Canonica verbi divini scripti Majestate &c. &c. Ineditum quoque reliquit integrum Systema SS. Theologiæ, opus solidum atque desiderabile, quod summa cura conscriptum in maximis deliciis haberi & sartum tectum a nonnemine servari memini, qui nec invidebit (spero) bono publico, si quis editurus MSCtum decenter flagitaret. Rostochio anno 1661. vocatus est in Aulam Güstroviensem a Sereniss. Mecleb. Duce *Gustavo Adolpho* gl. m. factus ejusdem Concionator Aul. supremus, ac Confessionarius, & tandem ab ann. 1670. Superintendens Gustroviensis, Consiliarius ac Præses Ecclesiasticus. Habuit hic ediditque an. 1672.

con-

concionem exsequialem in solenni funere Principis *Eleonora* Ducis nostri G. A. filiæ primogenitæ. Decessit ex hac vita Vir iste (ut magnus olim Princeps judicavit) *vere Apostolicus* anno 1686. mense Junio. Concionem eidem exsequialem habuit *M. Nicolaus Heidemannus* Pastor hic cathedralis, quæ typis publicis exscripta quoque reperitur. Serio autem dum adhuc vivebat beatus noster, vetuerat, defuncto sibi ac sepeliendo Personalia, quæ vocant, recitari, dixeratque ad suos moribundus: Ein armer Sünder ist gestorben/ seine guten Wercke sind gar verdorben; das sollen meine Personalia seyn. Superstites eidem manserunt è conjuge *Margareta Lemckenia* Patritia Rostochiensi præ cæteris filii: *Henricus Schuckmannus*, JCtus celeberrimus, Consiliarius Mecleb. aulicus & Vice-Director Cancellariæ Ducalis, *Johannes Schuckmannus*, Secretarius Cameralis intimus in Aula Mecleburgica; *Gustavus Schuckmannus*, Juris Candidatus †1704; & filiæ *Anna* D. Francisco Wolffio, olim Rostochiensium, nunc Hamburgensium Theologo; *Margareta* Danieli Dörckesio Quæstori provinciali ac Consiliario Camerali Mecleburgensi; *Agneta* Licent. Matthiæ Petersen, Secretar. olim Cancell. Güstrov. *Dorothea*, Licent. Nicolao Reutero, JCto ac Consiliario Fiscali Meclenburg.; *Magdalena*, M. Johanni Matthæo Polemanno Gymn. Güstrov. quondam Conrectori, nuptæ.

X. JOHANN-BALTHASAR HABERKORN. Giessensis, SS. Theol. D. *Petri Habercornii*, Doctoris Theologi & Professoris in Academia Gies-

Giessensi olim Primarii filius, ex *Elisabeta Catharina Feurbornia*, D. Justi Feurbornii, Theologi pariter Giess. celebrat. filia, natus: primo Superintendens Kirchainensis in Lusatia inferiori, tum Superintendens Sondershusanus in Thuringia, postea apud Erfurtenses Rev. Ministerii Lutherani Senior, itemque Confess. Augustanæ ibidem Professor Academicus. Hinc ann. 1687. a Sereniss. Mecleb. Duce *Gustavo Adolpho* gl.m. evocatus successit in locum B. Schuckmanni *Superintendens Güstroviensis, Concionator aulicus Primarius & Confessionarius Ducalis: adhuc per DEI gratiam superstes.*

(2)

Presbyterorum Aulicorum.

I.

JOSVA ARNDIUS, Güstroviensis. *M. Samuelis Arnoldi* f. *Arndii*, Superintendentis paulo superius commemorati, & *Annæ Mertelia* Filius, natus anno 1626. d. 9. Sept. A teneris annis in Gymnasio Güstroviensi Rectore *M. Georgio Schedio* eos in Literis humanioribus progressus fecit, ut annos X. natus latine & græce in prosa ligataque oratione sese expediret. Cumque deinceps suo etiam marte ex Iliade Homeri, Horatio, Catullo Parodias latine græceque componeret, nec non ex Virgilio centones & ex Theocrito Orationes Dorica dialecto conficeret, atque in Logicis, Rhetoricis, Ethicis, Philosophicis eximie profecisset, tum annorum XVI. inprimis ex

præ-

nate mentio facta est. † 1686. mense Jun. De Scriptis ipsius confer. Henning. Witten. Diar. Biograph. Tom. II. ad Ann. 1686.

III. MICHAEL SIRICIUS, SS. Th. D. Lübecensis. natus ann. 1628. d. 21. Decembr. Patre *Michaele Siricio*, V. D. ministro Lubecensi, Matre *Agneta Reuteriâ*, Senatoris Lubecensis filia: qui literis human. in Schola patria probe imbutus ann. ætatis 19. ad Academiam Helmstad. sese contulit, indeque mox ad Lipsiensem, Beati D. Hülsemanni convictu & manuductione usus. Anno autem 1648. utroque orbatus parente consilium mutavit, & anno 1649. Wittebergam concessit; edita ibidem suoque ipsius marte elaborata Disputatione de *Sacrâ Scripturâ*, quam sub Præsidio D. Scharffii ventilandam proposuit. Exacto biennio anno 1651. Giessam demigravit, Menzeri, Feurbornii, Habercornii, aliorumque Doctorum ac Professorum lectiones frequentavit per quinquennium, absolutoque penitus omni cursu Theologico ibidem anno 1657. prævia Disputatione inaugurali impetravit Licentiam obtinendi gradum Doctoris Theologi, quem anno 1659. solennitate Academica obtinuit: oblata insuper Professione Theolog. extraord. itemque Historiarum & Dignitate pastorali oppidana ac tandem Professione Theol. ordinaria. Quibus sacris muneribus ultra decennium ita functus est, ut publice privatimque probaretur omnibus, variisque ab ipso editis Speciminibus Theologicis in maximis haberetur deliciis, ut & illustribus vocationibus invitaretur ab exteris: quibus vocan-

cantibus tamen morem gerere nec potuit nec voluit, donec anno 1670. Sereniss. Meclenburg. Duci *Gustavo Adolpho* salva conscientia non posset haud obtemperare. Venit igitur in Aulam Güstroviensem D. Siricius, & capessivit dignitatem Concionatoris Aulici Consiliariique Ecclesiastici anno 1670. Qui licet anno 1675. ad Professionem Theolog. & Ephoriam Districtus Rostoch. hinc abiret, idem Princeps tamen tanto Theologo carere in Aula sua nequaquam potuit, quem anno 1681. revocavit, nec in posterum abs suo latere unquam dimisit, quotidiana fere ipsius consuetudine usus, quoad vixit. Mortuus tandem est Güstroviæ ann. 1685. d. 24. August. cui *M. Nicolaus Heidemannus* habuit Concionem exsequialem, postea editam, e Textu Isai. LVII. v. 1. 2. Reliquit e Conjuge priore *Annâ Julianâ Forthenia* Ffrana ad Mœnum Patritia tres filios: Ernestum Gerhardum, Johannem, & Gustavum Adolphum; quatuorque filias: Annam Loysam Catharinam, Agnesam Catharinam, Druidam Lucretiam, & Sophiam Catharinam: e quibus natu maxima Nicolao Dassovio, SS. Theol. Lic. & Professori Gryphiswaldensi nupsit. E posteriore conjugio, quod cum *Annâ Plönnies* Patritia Lubecensi 1678. contraxit, non reliquit prolem. Monumenta vero ingenii theologici varia in lucem emisit, præcipue quidem: Disp. de Idolo Papali: de Gloria DEI & Scripturæ Sacræ, contra Apostatam Schefflerum: de Uxore una: de Lacrymis Christi: de Simonis magi Hæreticorum omnium patris pravitatibus: de successione Ecclesiastica: de beata animæ

humanæ post mortem immortalitate: de Episcopo δευτερογάμῳ occasione secundarum ipsius nuptiarum 1678. Præconem pœnitentiæ: de prisca Prophetarum & Apostolorum Fide Conciones XX. super Symbol. Nicæn. & Constantinopol. Ostensionem fundamental. Abominationum Papatus circa religiosum creaturarum cultum. &c. Vide plura in Witten. Diar. Biograph. ad Ann. 1685. confer. inprimis Pipping. Memor. Theol. nostr. æt. Decad. I. num. 7.

IV. JOACHIMUS SCHRÖDERUS, Rostochiensis, natus 1638. d. 22. Octobr. Patre *M. Joachimo Schrödero*, Pastore ibidem ad D. Georg. per XL. annos optime merito. † 1677. (cujus Scripta cum Theologica tum Ascetica luce publica donata recenset Henningus Witte in Diar. Biograph. ad d. 1. Jun. 1677. vitam vero ac merita exposuit Joh. Bacmeisterus, Med. D. & Profess. Rostoch. in Program. Acad. Exsequiali d. 7. Jun. 1677. publ.) Matre *Dorothea Bacmeisteria*, Matthæi Bacmeisteri, Phil. & Med. Doct. Rostoch. filia, & D. Lucæ Bacmeisteri Senioris Theol. Prof. ac Superint. Rostoch. e conjuge *Johannâ Bordingia* (quæ *D. Jacobum Bordingium*, Medicum Rostoch. & Haffniensem famigeratissimum habuit Patrem) nepte. Ulterius obtigerunt ipsi: Avus *Petrus Schröderus*, Sereniss. olim Duc. Mecl. Johannis Alberti II. Præfectus Annonæ Ribbenicensis; Proavus *Joachimus Schröderus*, Pastor Eldenavicensis in Districtu Parchimensi & Principis Mecleburg. ibi tum residentis Pastor aulicus, qui ann. 1580. Formulæ Concordiæ subscripsisse memoratur in Catalogo subscri-

ſcriptionis iſtius ſolennis anno 1581. publicato; Atavus *M. Joachimus Schröderus*, Paſtor olim Eccleſiæ Petrinæ Roſtoch. per XLII. annos fideliſſ. παρασάτης Protevangeliſtæ Luth. Roſtoch. *Joachimi Slüteri*, hujusque defuncti in officio Paſtorali Petr. ſucceſſor, quemadmodum teſtatur Programma Acad. Roſtoch. ad ejus Exſequias anno 1564. a D. Luca Bacmeiſtero Seniore publicatum. Ejusmodi nobiliſſ. Sacerdotali Proſapia ortus Noſter cùm Juventutem ſuam Scholaſticam & Academicam bene collocaſſet, anno 1661. primum Eccleſiæ Slemminenſis in Pomerania *Paſtor* eligebatur, poſtmodum a Sereniſſ. Mecleburg. Duce *Guſtavo Adolpho* gl. m. 1666. *Paſtor* Eccleſiæ Neo-Caldenſis, nec ita multo poſt 1671. *Præpoſitus* Neo-Caldenſis & Dargunenſis Circuli conſtitutus, tandem vero ob inſignem in concionando gratiam ab eodem Duce ſuo Güſtroviam vocatus 1680. *Concionator Aulicus* extitit, anno 1689. *Paſtoratu* hîc Cathedrali adauctus. Quo utroque Munere etiamnum per DEI gratiam integris animi corporisque viribus fungitur, ſenex nunc propè ſeptuagenarius.

V. JOHANNES ERNESTUS PHUELIUS, SS. Theol. D. Berolinenſis. natus a. 1640. Patre quidem *Erneſto Phuelio*, Berolinenſi, J. U. D. Comite Palat. Cæſ. & Dicaſterii Elect. Brandenb. Advocato ordinario. Cum ad annum ætatis ſuæ XVI. perveniſſet atque in Gymnaſio Berolinenſi eos progreſſus feciſſet, ut Theologia Catechetica ac Philoſophia & Linguis fundamentalibus ſolide perceptis editisque variis ingenii politi ſpeciminibus, Magiſterio

dignus reputaretur à Præceptoribus suis, tum anno 1657. Academiam Wittebergensem adiit, ibidemque Scharffium, Johannem Meisnerum, Cunadum & Calovium, Doctores publice privatimque audiit per biennium. Inde Lipsia quoque salutata Patriam repetere coactus est præmatura Parentis morte, quæ rerum necessariarum indigentiam quandam ipsi attulit. Domi autem assiduus fuit Lectionum Academicarum ruminator privataque Theologorum orthodoxorum cum Berolini tum alibi passim consuetudine multum profecit. Non multo post in Academia Francofurtana Magister Philosophiæ creatus cum Reformatis Theologis de controversis Fidei articulis crebro sermones contulit. Hinc Hamburgum discessit, cum Theologis ibidem celeberrimis D. Mauritio & D. Müllero familiater vixit, studiaque sua tantopere iisdem probavit, ut facultatem ipsi darent Collegia Theologica legendo & disputando aperiendi. Exacto sic triennio Gryphiswaldiam vocatus munus Professoris Poes. & Eloqu. impetravit, multisque Collegiis tam Philosophicis quam Theologicis studiosam juventutem per decennium juvit & erudivit. Postea auctoritate regia Gymnasio Stetinensi Rector atque Professor publicus præpositus summos in Theologia Honores petiit, annosque XII. illic Doctorem sese eximium præbuit, & variis Disputationibus ac Programmatibus Gymnasticis famam sibi conciliavit: id quod Sereniss. Ducem nostrum *Gustavum Adolphum* movit, ut anno 1689. ipsum *Concionatorem Aulicum* huc vocaret & paulo post *Consiliarium Ecclesiasticum*

ſticum conſtitueret. Præter Scripta ejus Academica & Gymnaſtica jam in Pomerania edita, hîc quoque edidit 1691. *Orthodoxiam Phuelianam* contra C. T. R. & F. F. Theologos Pomeranos, qui ἀκυρολογίας ipſum arguebant, aſſertam; quanquam hîc locorum nemo eſſet, qui ejus Theologiam in dubium vocaret, tam Principibus probatus, quam bonis omnibus. Anno autem 1693. beatiſſ. Ducis noſtri G. A. conceſſu hinc abiit *Superintendens* ad Ephoriam Stargardienſem & Paſtoratum ſimul Neo-Brandeburgenſem. † ann. 1705. d. 12. April.

(3)

Miniſtrorum V. D. Cathedralium in Æde Cæciliana.

I.

M. HENRICUS PIPERITES, Hamelenſis. anno 1568. e Parochiali ad Cathedralem ædem vocante Duce Sereniſſ. *Ulrico* translatus, *primus Evangelii purioris* in hac baſilica reparata *Præco* fuit, ac in Aulâ Confeſſionarius Ducalis. † 1583. qui in matrimonio habuit Eliſabetam Stoisloviam è nobiliſſ. Stoisloviorum familia in hac civitate degentium prognatam, Generum nactus *M. Anthonium Bocatium*, Superintendentem Parchimenſem, qui filiam ipſius *Brigittam* uxorem duxerat.

II. CHRISTOPHORUS MAGEIRUS ſ. MAGERIUS (alias Koch/) Stendalienſis.

vocatus ann. 1568. qui ann. 1580. unà cum cæteris Collegis hîc F. C. solenni more etiam subscripsit. † 1586. ætat. 69. Reliquit e conjuge *Margareta Crollia*, D. Sigismundi Crollii, Archiatri Güstrov. celeberr. filiâ filiam *Catharinam*, D. Martino Gerdeśio, Consuli & Syndico Güstrov. nuptam; aliam quoque nomine *Margaretam* ad coelites præmisisse ann. 1572. epitaphium in Basilicâ nostra Cathedrali hodienum refert. Eundem & Parchimensium Archi-Diaconum aliquando extitisse, vult *Michael Cordesius* in Chronico Parchimensi pag. 21. & 29. ibidemque mortuum ac sepultum esse, arguit subsequens Epitaphium, quod adhuc Parchimi in Templo palæopolitano spectatur:

Christophorus Jova multos servatus in annos
 Mageirus mundo vivere nunc renuit.
Stendalia ut primum hunc matris suscepit ab alvo,
 Francofurti illum hîc clara Lycea beant.
Dum tribus erudiunt Linguarum fontibus ipsum,
 Et Libri sacri mystica sacra docent,
Sarmatus hunc audit Linguâ memorare Pelasgâ,
 Quæ Sophia ex media constituere Sophi.
Quem pietas, quem cana fides, industria, candor,
 Junxerunt aulæ Principibusque viris.
Conspicuum vidit quem Güstroviana cathedra,
 Hunc tumbâ clausit Parcuma terra virum.
Uno juncto anno bis septem lustra replerat,
 Cum sua præsenti crederet ossa loco.
Vive memor mortis, qui mortis es, hospes, imago,
 Et dic: Mageiri molliter ossa cubent.

III. ER-

III. ERHARDUS MERTELIUS. vocatus 1583. à morte M. Piperitis per annos XX. hic sacro Ministerio functus perhibetur. † 1603. cui Gener... post fata obtigit M. Samuel Arnoldi, paulo superius memoratus, qui filiam ipsius *Annam* duxit uxorem.

IV. NICOLAUS GIESENHAGEN. vocatus 1586. tempore Serenissimi Ducis *Ulrici*, quo dem mortuo anno 1603. hinc discessit Graboviam cum Principe Vidua *Annâ* Pomeranica, cui Ecclesiastes Aulicus Grabovix obtigit, quo in munere adhuc vixit ann. 1626. cum moreretur illa Princeps. Superest ejusdem, quam Beatiss. Ducis *Ulrici* nostri memoriæ consecravit, *Concio funebris* edit. anno 1603. Reliquit filium *Ulricum Giesenhagen*, Pastorem ac Superintendentem Parchimensem.

V. JOHANNES HILDEBRANDUS. vocat. 1603. † 1619.

VI. M. PETRUS HESSÆUS (Hesse/) Suerino (ubi antea per octennium Ecclesiastes cathedralis fuerat) evocatus ann. 1604. & multum hîc passus a Reformatis aulicis, quorum causa tandem hinc auctoritate publica dimissus anno 1620. aliorsum ad alium abiit Pastoratum in vicina urbe Büzovia, favente ipsi Adolpho Friderico I. Duce Suerinensi. Filius eidem superstes fuit *M. Christianus Hessæus*, quem pariter Pastorem venerati sunt Büzovienses per 23. annos.

VII. M. DANIEL MICHAELIS. vocatus 1620. à morte Johannis Hildebrandi, & ex voluntate Sereniss. Ducis *Johannis Alberti II.* ad Pastoratum Ca-

thedralis Ecclesiæ accersitus, Annoque 1619. surrogatus est Superintendens in locum defuncti D. Bacmeisteri. Vide superiùs.

VIII. M. SAMUEL ARNOLDI CARNDIUS. vocatus ann. 1621. in locum dimissi M. Hesseni, successit etiam M. Danieli Michaelis in Pastoratu Cathedrali & Superintendura Güstroviensi. Vide paulo superiùs.

IX. HERMANNUS HARTMANNUS, Rostochiensis. natus anno 1607. d. 5. Octobr. Pater ei fuit *Bernhardus Hartmann* civis Rostochiensis natione Delmenhorstanus; Mater *Elisabetha*, Petri Ottonis, civis Rostoch. filia. Tyrocinii rudimenta partim Hamburgi anno 1622. partim Güstroviæ ann. 1624. posuit: illic Hospite beneficentissimo *Lic. Erico Wordenhofio*, hîc Rectore *M. Sebastiano Maiero* usus, quem & Lubecam subsecutus, ibique liberali munificentia Patritii Jacobi von Dorn exceptus. Inde a Parente decumbente domum revocatus, paulo post eodem demortuo in Academiam *Gryphicam* ad Pomeranos sese contulit, ac Consulis D. Jacobi Stoppelii Hospitis sui beneficio *D. Battum*, *Lic. Rhauen*, & *M. Fridlibium* in studio Philosophico atque Theologico Præceptores nactus est. Interjecto temporis spatio Stralesundi aliquantisper ac postea in Holsatia apud generos. Dn. *Nicolaum de Buchwald* juventutis Moderatorem egit domesticum, donec Anno 1634. Rostochii parem provinciam obiturus studiumque theologicum sub D. *Quistorpio* & *D. Cothmanno* prosecuturus, Cancellarii Meclenburgici *Johannis Cothmanni*

manni opera ad Neo-Stadiensem in Parchimensi Diœcesi Pastoratum vocaretur. Sed interea dum Concionem δοκιμαστικὴν coram Serenissimo Mecleburg. Duce *Adolpho Friderico I.* Büzoviæ haberet, ita probatus est Principi, ut Concionator aulicus Suerini juberetur esse. Anno 1639. concessu Principis sui Gustroviæ M. Samueli Arndio, Pastori Cathedrali Collega adjunctus est, quem & ann. 1645. in Pastoratu hic cathedrali excepit. Extremo etiam tempore præter Pastoratum Cathedralem in Sacello Aulico Güstroviensi concionandi munus obiit coram Sereniss. Principe *Gustavo Adolpho*, quo tamen munere mox ingravescente senecta semet abdicavit. † 1657. d. 24. Novembris. Cui e conjuge *Annâ Mülleriâ* adhuc superstes est filius *Laurentius Hartmannus*, Pastor Ecclesiæ Kritzcoviensis in hac vicinia. Concionem in ejus funere solennem habuit *Stephanus Hane*, Collega, in lucem editam, ex 2. Cor. XII, v. 7. 8. 9.

X. STEPHANUS HANIUS. Gerbishusa Eichsfeldensis Moguntinus. natus ann. 1601. d. 2. August. Patre *Johanne Hanio*, Prætore Hansteiniensi in Tractu Eichsfeldano, Matre *Elisabeta Holtzmannia*, Bartholdi Holtzmanni civis Augustani filia; Abavunculum maternum veneratus *Wilhelmum Xylandrum*, qui latinis æque ac græcis, quæ edidit, Scriptis olim inclaruit. Cum vero Eichsfeldia Jesuitarum κακοζηλία orthodoxis Scholis careret, Parentes ipsius amore purioris doctrinæ flagrantissimi filium adhuc tenerum permiserunt avunculis ejus *Georgio* & *Joeli Holtzmannis*, illi Grüningensi Concionatori Aulico, huic

huic Balhusano in Ducatu Brunsuicensi Pastori, qui ipsum in Grüningensi, tum Halberstadiensi, postea Eimbecensi, tandem Göttingensi Gymnasiis ita instituendum curarunt, ut fundamenta pietatis & artium solerti ingenio arriperet, ac præsertim in Exercitiis Oratoriis & Poeticis egregie proficeret. Cumque ita videretur suis, ut ad scholas regias transiret, primo Giessam concessit, & Professorum ibidem celeberrimorum Lectionibus Philosophicis pariter ac Theologicis sedulo interfuit. Et licet ob Bohemici belli, quod Parentes omnibus spoliavit bonis, injuriam careret subsidiis necessariis, tantum tamen abfuit, ut ejusmodi egestas animum ipsius a studiis deterreret, ut tanto magis excitaret. Fretus igitur DEI, qui passim Patronos suscitavit beneficos, auxilio paterno, anno 1624. in Rostochiensem Academiam delatus, summos quidem illos Viros, quibus commendatus fuerat, quosque plurimum rebus suis profuturos speraverat, D. Joh. Affelmannum Theologum, & D. Ernestum Cothmannum JCtum atque Cancellarium decumbentes & jamjam morituros invenit, nihilo tamen minus studiorum gratia per integrum annum ibi substitit, donec anno 1625. a Generoso Viro *Paschasio de Lübe* Judicii Provincialis Mecleńburgici, quod tum Sternbergæ exercebatur, Præside aliquot Adolescentulis nobilibus Magister morum studiorumque moderator præficeretur. Exacto ita quinquennio ad *Pastoratum* Ecclesiæ *Reinshagensis* huc viciniæ vocatus est anno 1630. at gliscente funestiori bello & πανολεθρίᾳ provinciali imminente a. 1637.

Gü-

Gǖstroviam se recipere coactus fuit. Cumque egregius informandæ juventutis artifex & haberetur & esset, ab anno 1639. usque 1646. ad Conrectoratum Scholæ Gǖstroviensis gerendum postulatus est, non neglecto interim munere suo Pastorali, quod nihilo secius, quotiescunque per vagantes milites licitum fuit, diebus dominicis foras exspatiatus obiit, comitantibus Præceptorem è schola catervatim discipulis. Talis *Hanii* nostri in docendo solertia movit tandem optimum Principem *Adolphum Fridericum I. Gustavi Adolphi* nostri tum minorennis Tutorem, ut eum anno 1649. Ecclesiæ hic Cathedralis *Presbyterum* crearet; auxitque post majori cumulo beneficium ipse Sereniss. Dux noster *Gustavus Adolphus*, qui anno 1655. eundem *Concionatorem* suum *aulicum*, 1659. *Pastorem Cathedralem*, *Confessionariumque aulicum*, & 1662. *Consiliarium Ecclesiasticum* constitueret junctis unà officiis. Decessit tandem pie placideque anno 1667. d. 4. August. Orationem ipsi funebrem ad exsequias habuit *M. Nicolaus Heidemannus*, Collega Cathedralis, quæ typis publicis exscripta prodiit sistitque Text. Habac. IV, 18. E conjuge *Annâ Sebusiâ* ipsi superstites manserunt Filii: *Paschasius*, Pastor in Gnevesdorff; *Hartwig*, Pastor in Reckeniz; *Daniel*, Pastor in Buchholtz, & postea in Reckenitz a morte fratris; & filia unica *Oelgardis* Joach. Susemilio Pastori Neo-Kirchensi nupta. Monumenta literaria edidit sequentia: *Conciones funebres* quamplurimas, quæ conjunctim modicum Voluminis fasciculum constituere possunt. *Threnologiam de*

pra

præcipuis Theologis per totam Germaniam celeberrimis, qui intra XL. annos in Academiis & primariis Ecclesiis pie decesserunt, poemate Elegiaco, in Octav. *Memoriam Clarissimi Viri Eliæ Schedii* insignis Polyhistoris & Juris Candidati, † 1641. aræ Familiæ Schediorum insertam.

XI. M. NICOLAUS HEIDEMANNUS. natus anno 1628. d. 7. Mart. in Prædio gentilitio Kuchelmiß, quod hinc non procul distat, Genitore *Petro Heidemanno* tum Inspectore ac Curatore istius prædii, postea Hypothecario in Bars; Johannis Heidemanni civis Stetinensis filio, Genetrice *Catharinâ Pritzeburiâ*, Martini Pritzeburii, qui prædium modò dictum Kuchelmiß pari ratione olim inhabitavit, filia. Domesticis Præceptoribus in XV. æt. annum sic usus est filius, ut e Catechesi Dieterici rudimenta Religionis nostræ exacte calleret, atque in prosa & ligata oratione tam latine quam græce specimina ederet. Anno 1643. Parentes ipsius Güstroviam concesserunt habitatum, qui filium hunc in Scholam publicam missum tradiderunt *M. Georgio Schedio*, Rectori, & *Stephano Hanio*, Conrectori instituendum. Hic ita sese gessit, ut in Examinibus publicis respondendo & perorando eximie probaretur omnibus. Frequentavit etiam privatas Lectiones *M. Matthæi Marci*, Pastoris hîc Parochialis, qui Ebraicas, in quibus excellebat, literas ipsum docuit. Hujus Viri manuductione Heidemannus ita profecit, ut Codicem Bibliorum absque Versione explicare & Ebraice aliquid componere valeret. Cumque sic satis aptus

vi-

videretur Academiis Ann. 1645. Rostochium missus est, ubi Doctore *A. Varenio* studium Ebraicum continuavit, quidque in ea arte posset, Oratione publica de *Triumpho Christi* Ebraice demonstratum dedit. Præterea Philosophiæ, Philologiæ & Theologiæ sedulo operam navavit sub Lütkemanno, Tscherningio, Mauritio, Hempelio, Crochelio, Quistorpio, Cothmanno, Schuckmanno Viris longe celeberrimis. Rostochio anno 1649. Lipsiam demigravit præcipuè studii Theologici causa, ubi Langium, Hülsemannum, Henricium, Carpzovium, Kromajerum, Slüterum audivit, atque sub Præsidio D. Henricii de *Termino Vitæ humanæ* in Auditorio theolog. disputavit, & peculiarem Dissertationem eodem Præside contra Altingium publice habuit: item Præside D. Hülsemanno *de unione fidelium cum Christo* proprio marte conscriptam Disputationem in majori Principum Collegio publico Eruditorum Examini subjecit defenditque. A. 1651. ad Academiam Wittebergensem sese contulit, inque Calovii, Scharffii, Meisneri, Buchneri, Sperlingii Doctorum atque Profess. consuetudinem pervenit, & inprimis sub D. Calovii Hospitis sui Præsidio in Socinismo ejusdem profligato de Satisfactione Christi, atque in Synopsi Controversiarum potiorum de Ministerio Verbi ac Sacramentorum deque Novissimis Respondendo inclaruit. A. 1652. in Academia Jenensi *Magisterii* gradum Promotore Stahlio adeptus est. Eodem labente anno Dresdam & Pragam (quo tum Imperii Proceres Ferdinandus III. Imperator ipse convocaverat) salutavit, ac deinceps

per

per Lipsiam, Magdeburgum, Lüneburgum, Hamburgum atque Rostochium in Patriam redux factus ab anno 1653. Güstroviæ Rever. Ministerio operam suam sedulo commodavit. Unde factum, ut A. 1657. præ cæteris Candidatis ad Ministerium hîc Ecclesiast. in æde Cathedral. electus vocaretur, volente ita Sereniss. Duce *Gustavo Adolpho*, qui & A. 1668. à morte Stephani Hanii in eodem templo Pastoratum ipsi contulit. Extremo tempore, cum Superint. D. Schuckmannus ex hac vita decessisset, Vicariam quoque inspectionem tanquam Rev. Minist. Senior in Districtu Güstrov. obire jussus est. Tempore Ministerii sui, quod per XXX. annos summa cum laude gessit, permultas Conciones Exsequiales in memoriam ampliss. Personarum habuit, sparsim luci publicæ expositas. E conjuge *Sophia Elisabetha Kochia* (Joachimi Kochii Præfecti Ivenacensis ac Stavenhagensis filia) reliquit filios: *Danielem Henricum*, Not. Jur. publ. & *Nicolaum Joachimum*, SS. Theol. Candidatum; filiarum major natu *Catharina Elisabetha*, Danieli Sandovio, Senatori Güstr. nupsit. Obiit vero M. Heidmannus anno 1687. d. 8. Septembr. Concionem ipsi Exequialem habuit *M. Martinus Hedenus*, Collega, anno 1688. edit. Textus fuit 2. Tim. I. v. 12.

XII. ANDREAS METZMACHER. natus anno 1616. d. 11. April. Campzæ in Præfecturâ Suanensi, Patre *Andrea* Metzmacher / Pastore Campzensi, Matre *Eva Stolbergia*. Cum Parentes ipsum studiis lit. consecrassent, prima rudimenta in Scho-

Schola Suanensi accepit, annos autem natus XIII. ad Scholam Güstroviensem anno 1628. missus Praeceptoribus usus est *M. Sebastiano Mejero*, & post hujus decessum *M. Georgio Schedio*, Rectoribus, *M. Georgio Völcknero*, Conrectore, & *Jacobo Beckero*, Subrectore. Propter turbas Wallensteinianas aliquantisper Rostochiensem quoque Scholam frequentavit, Rectore *M. Henrico Vulpio* (qui postea Rector Gymnasii Revaliensis apud Livonos factus est) usus. Postea ad Gymnasium Halense Saxonicum sese contulit, celeberrimi ibi Rectoris *Christiani Gveinzii* famâ allectus, cujus manuductionem per biennium secutus est. Ab anno 1636. in Academiis Jenensi & Rostochiensi SS. Theol. operam dedit. Anno 1639. Güstroviam in portum veluti tutiorem sese recepit, saeviente passim marte & morte, *Achatii Salfeldii*, Secretarii & Senatoris Güstrov. Agnati sui beneficio atque hospitio exceptus. Hoc autem Viro rebus humanis exemto anno 1640. Rostochii provinciam informandi obtinuit apud Consulem & JCtum Rostoch. *Bernhardum Clingium*, ut hac ratione studium Theologicum in ista Academia ex voluntate continuare posset. Anno 1642. rursus accersitus est Güstroviam, ubi primo Subrectoratum, 1648. Conrectoratum, & 1651. Rectoratum in Gymnasio promeruit, *Schedioq;* Rectori emerito non tantum Collega, sed & Successor obtigit, cujus Sobrinam Elisabetam Kitteliam duxit uxorem, e quo conjugio supersunt: Filius *Andreas*, SS. Theol. Candidatus; Filiae *Sophia Christina*, *Juliana* (quae nupsit Friderico Julio Cho-

pio olim Archivario Güstrov. jam Consiliario Strelicensi), & *Elisabetha.* Anno 1663. vocatus est e pulvere Scholastico ad Pastoratum Malchinensem, & anno 1668. huc ad Ministerium Cathedrale revocatus, anno 1682. d. 14. Jun. placide obiit æt. 66. Ministerii Scholast. 21. Ecclesiastici 19. Concionem exsequialem eidem habuit Collega *M. Nicolaus Heidemann.* dixitque e Text. Apocal. XIV. v. 13. *de jucundissima status piorum post hanc vitam revelatione.* Beatus vero, dum vixit, edidit præter conciones nonnullas exsequiales, memoriam *M. Georgii Schedii* latine.

XIII. M. MARTINUS HEDENUS. Güstroviensis. natus anno 1659. d. 13. August. Patre *Nicolao Hedeno*, cive Güstroviensi, Conradi Hedeni, Archi-Diaconi Sondershusani in Thuringia filio, M. Erasmi Hedeni, Rectoris Scholæ Arnstadiensis Nepote, & M. Conradi Hedeni, Rectoris pariter Sch. Arnstad. Pro-nepote; Matre autem *Elisabeta Wegneria*, Martini Wegneri, Chirurgi & civis Güstroviensis filiâ. Fundamenta pietatis & Liter. Human. in Scholâ patria posuit, plurimumque se debere Dieterico Lüzovio, Subrectori, M. Cornelio Pittelio, Conrectori, & Licent. Godofredo Voigtio, Rectori factus est. Anno 1678. sub Præsidio prædicti Lic. Voigtii de Communione sub utraque contra Jesuitam hic famosum Sevensternium publice disputavit, habitaque Oratione valedictoriâ ad Academiam Jenensem abiit, ibique Philosophicis atque Theologicis studiis operam navavit strenue & anno 1681. sub Præsidio D. Frischmuthi Disputationem proprio marte elabora-

boratam publice proposuit. Postea Wittebergæ atque Rostochii aliquandiu studiorum gratia vixit. Anno 1684. vocatus est ad Ministerium sacrum in æde hic Cathedrali, in locum defuncti Metzmacheri; sed ann. 1689. d. 19. Jul. ætat. 30. mortuus magnum sui reliquit desiderium. E conjuge *Wendula Margaretha* Petersen/Lic. Matthiæ Petersen, Secret. Cancell. Güstr. filiâ, reliquit tres filios: Hermannum Matthiam, Johannem Martinum, & Nicolaum. Concionem ipsi funebrem habuit *Joachimus Schröderus*, Collega, postea luce publicâ donatam, super Text. Ebr. X. vers. ult. *de piorum Concionatorum & Auditorum perseverantia.*

XIV. JOACHIMUS SCHRÖDERUS. Rostochiensis. vocatus 1689. surrogatusque M. Nicolao Heidemanno, antehac Concionator tantum Aulicus, jam vero & Aulico & Cathedrali Ministerio simul fungens, senex prope septuagenarius, superiusque jam memoratus in Presbyterio Aulico.

XV. NAEMAN REDELFFSEN, Husumi in Sleswicensi Ducatu natus 1660. d. 2. April. ex cive Hans Redelffsen/ & Naëmanni Edelffsen, civis atque Mercatoris Husumensis filia *Catharina*. Cum XIII. annorum esset, ex schola arithmetica in Husumensem scholam datus, informationi *Petri Matthiæ* multa debuit intra quatuor annos. Deinde in Academiam Kiloniensem assumtus habuit Kortholtium, Franckium, Wasmuthum, Opitium, Morhofiumque Præceptores: exinde Lipsiam præsertim ob D. Scherzerum petens feliciter studia Academica 1683. absolvit

& per Germaniam Belgiumque peregrinatus in patriam rediit, & per duos annos vicarium sacri officii laborem in æde urbanâ pro emerito *Petro Nicolai*, Pastore suscepit, quo per biennium functus, Serenissimo *Christiano Alberto*, Duci Slesvicensi Hamburgi supra biennium servîit vespertinis concionibus. Ex quo tempore Ser. *Gustavus Adolphus*, Dux Mecleb. jam beatus illum ad Ministerium sacrum in Templo Cathedrali Güstrov. peragendum evocavit 1689. circa Martini festum: ad quod officium Dominicâ II. Adventûs anni 1689. exeuntis introductus *M. Hedenum* in Ministerio atque Conjugio excepit, hodienum superstes.

(4)
Ministrorum V. D. Parochialium in æde Mariana.

A Protev-angelistarum *Joachimi Crusii & Johannis* N. Ministerio extraordinario, quod superius Period. III. §. 6. & 7. descripsimus, ordinarie quidem in hoc templo Sacra administrare cœperunt:

Jobst Schulte & *Johannes Koch*. ann. 1538.
Joachim Drepenick. anno 1540.
Johannes von Gröningen/ ann. 1546.
Jacobus Glasow. ann. 1547.

qui partim e Papatu superstites, quòd ad meliorem sese frugem reciperent, non videbantur exauctorandi, sed tolerandi, ut haberent, unde viverent; Accedente autem *M. Gerardo Oemichio*, Lutherano Præposito

posito ac primo Superintendente, qui enormes abusus penitus hinc sustulit & omnia in ordinem redegit, ut superius suo loco enarratum est, ab hoc tempore bini semper Ministri præfuerunt Ecclesiæ Parochiali, hâc quidem serie:

I. PETRUS RICHIUS s. Ryke. † 1561.

II. HENRICUS ITHERSEN. † 1552.
qui bini in Protocollo Visitat Eccles. de anno 1541. aliquam doctrinæ ac vitæ laudem reportarunt, ideoque in sacro officio ad dies vitæ confirmati sunt. vid. Period. III. §. 7.

III. M. PETRUS BARTHOLDI. Suerinensis, vocatus 1553. qui antea fuerat scholæ Suerinensis Rector. confer. Chronic. Suerinense M. Bernhardi Hederici, ad ann. 1553. Hic vero mortuus anno 1565. pestis tempore, incredibile sui desiderium reliquisse perhibetur.

IV. M. HENRICUS PIPERITES. Hamelensis. vocatus 1563. anno autem 1568. translatus ad ædem Cæcilianam s. Cathedralem à sordibus Pontific. tum demum repurgatam, de quo paulo superius dictum.

V. PETRUS TIDEMANN. vocat. 1565. ab æde Hospitali Spiritus S. in quâ primus extitisse Lutheranus Pastor & tempore atrocissimæ pestis 1565. nullam hic defugisse temporis acerbitatem traditur. Solenni more hîc etiam cum cæteris subscripsit Formulæ Concordiæ 1580. † 1596.

VI. M. HENRICUS SCHINCKIUS. Hamburgensis. vocatus ex Academia Rostochiensi,

ubi ſacrarum Literarum ſtudiis operam navavit, ſurrogatusque in locum M. Henrici Piperitis anno 1568. Conjugem hic duxit 1576. *Christinam Lyſandriam*, tandem mortuus anno 1593. Ex hujus Viri inſtructiſſima Bibliotheca multam hauſit doctrinam *Paulus Tarnovius* inſignis ille Theologus Roſtoch. in juventute ſua, cum aliquando Güſtroviæ viveret, ut in Programmate ejus exſequiali teſtata eſt Academia Roſtoch. 1633.

VII. M. MAURITIUS RACHELIUS. Malchovienſis Mecleb. vocatus ann 1594. Bützoviâ, ubi fuerat Eccleſiæ Paſtor per aliquot annos. In Scriptis ab ipſo editis *totius Miniſterii Güſtrovienſis Senior* appellatur. Edidit vero cum varias Conciones funebres nobiliſſ. perſonarum, tum 2. Homilias Homagiis Ducum Mecl. conſecratas (2. Huldigungs-Predigten) anno 1605. d. 16. Sept. & 1609. d. 3. Julii ſuper Pſalm. XX. & CI. † 1611. Præ cæteris liberis ſuperſtites eidem manſerunt filii: *M. Mauritius Rachelius*, Rector ſcholæ Huſumenſis in Holſatia, qui vixit 1629. & 1639. & *Nicolaus Rachelius*, SS. Theol. Studioſ. 1612.

VIII. M. FRANCISCUS RHODIUS. Güſtrovienſis. natus anno 1569. honeſtis ac piis parentibus. Rudimenta literarum partim in hac ſchola Rectori *M. Franciſco Oemichio*, partim in Lycæo Brunſuicenſi Clariſſ. Viro *Nicodemo Friſchlino* retulit accepta. Inde ſtudiis Academicis Roſtochii per novem annos incubuit Magiſteriique gradum an. 1595. promeruit. Anno 1597. vocatus eſt ad Miniſterium

Pa-

Parochiale in urbe patriâ, atque fidelem ſeſe operarium in hac vineâ Domini præbuit. Uxorem duxit *Gertrudem Paulinam*, D. Simonis Pauli, Theologi ac Superint. Roſtochienſis filiam, e quâ ſuſcepit præter alios filium *M. Simonem Rhodium*, Paſtorem Eccleſiæ Grubenhagenſis in diſtrictu Güſtrov. Mortuus eſt anno 1617. d. 2. Nov. in ipſo Jubilæo Lutherano Güſtroviæ tum quoque celebrato. In memoriam ejus Orationem funebrem recitavit D. Lucas Bacmeiſterus, Güſttov. Superint. luci publicæ expoſitam.

IX. M. ENOCHUS SUANTENIUS. Malchinenſis. natus ann. 1576. piis & honeſtis parentibus, qui, ut in primo ætatis flore bonis artibus ac pietate initiaretur filius, cùm in ſchola patria, tum Güſtrovienſi à Clariſſ. Rectore *M. Christiano Dornemanno* erudiendum ipſum curarunt, donec tandem multis hîc editis ſpeciminibus Scholaſticis, dignum judicarent, quem ad regias ſcholas ablegarent. Unde ad Argentoratenſem Academiam ſeſe contulit filius Enochus, ejusque præcipua Lumina Johannem Pappum & Philippum Morbachium, SS. Theol. DD. & Profeſſores publice audivit & privatim adiit ſæpiſſime, nec non inſignibus tum Philoſophis & Oratoribus operam dedit, atque ita ſeſe in ſtudiis & moribus probavit, ut amarint eum plurimum & ſupremos ei in Philoſophia honores unanimi totius Collegii conſenſu adjudicarint, eoque rem deduxerint, ut in Collegio Wilhelmitano publicâ Pædagogiâ fungeretur, quam & ſumma cum laude ſuſtinuit, atque ab illo

tempore differendo docendoque diligentiam ac industriam toti Academiæ probavit, cujus etiam benevolentiam in Promotionibus sensit, & commendatione illius Nobilibus aliquot in itinere junctus universam hoc modo perlustrandi Italiam occasionem nactus est, & cum ingenti studiorum suorum incremento peregrinationes remotissimas suscepit, nobilissimasque civitates contemplatus est. Ex Italia vero post diuturnas peregrinationes reversus Wittebergensem Academiam adiit: ex qua postea A. 1604. singulari DEI providentia Borsholmiam Holsatiæ ad Rectoratum Scholæ & Pastoratum simul Ecclesiæ vocatus, per integrum sexennium duram ejusmodi provinciam non sine molestia sustinuit, ut & technis Calvinianorum Gottorpiensium inde expulsus alibi locorum fortunam suam experiri cogeretur. Venit igitur Rostochium rediitque ad pristina studia Academica, &, ut monumentum eruditionis suæ erigeret, recitavit hic ediditque A. 1611. admodum politam Orationem *de naturali Ecclesiæ & scholarum Syncretismo.* Cumque hac ratione magis magisque innotesceret, laudesque ipsius in Aulam hic Ducalem penetrarent, factum est, ut ex voluntate Sereniss. Principis atque Ducis Mecleb. *Johannis Alberti II.* ann. 1612. constitueretur Ecclesiastes Parochialis Güstroviæ, in quâ functione pie obdormivit A. 1624. d. 2. Sept. imbecilliori corporis constitutione semper usus; Conjugium contraxerat cum *Magdalena Bocatia*, M. Anthonii Bocatii, Superintend. Parchimensis filia & M. Henrici Piperitis nostri nepte, unde duas filias

ac

ac tres filios sibi superstites habuit: E quibus nobis innotuerunt 2. Filii, *Enoebus* atque *Christianus*: quorum ille SS. Theol. Doctor, Professor atque Presbyter Rostochiensis; hic vero Philosophiæ Magister & Pastor Ecclesiæ Lüssoviensis haud procul ab hac urbe, celebrantur. Noster autem in Pastoratu suo Güstroviensi edidit *speculum Regentium* s. Regenten Spiegel des Königlichen Propheten Davids/ welchen er allen Christlichen Potentaten vor Augen stellet in seinem CI. Psalm: quam concionem habuit auctor Güstroviæ ann. 1618. d. 2. Sept. ad retundendas vero calumnias, quibus à nonnullis in Aula fuerat traductus, in lucem publicam emisit, Principique *Johanni Alberto II.* dedicavit. Orationem parentalem defuncto M. Suantenio latine scripsit publiceque recitavit M. Sebastianus *Mejerus*, Rectorum scholæ Güstroviensis, impressam Güstroviæ 1624. Confer. Müller. Isagog. ad Hist. Cherson. Cimbr. part. III. p. 379.

X. M. LAURENTIUS Langclaus. Güstroviensis. nat. 1584. d. 10. August. parentibus *Petro* Langclaus & *Anna* Waßmunds civibus honestis bonæque famæ. Educatus in patria schola, Rectore *M. Francisco Oemichio*, hinc anno 1605. ad illustre Pædagogium Stetinense transiit fundamentisque eruditionis solide jactis, anno 1507. petiit Academiam Rostochiensem, ubi studiis Philosophicis atque Theologicis per quinquennium operam dedit, postea Wittebergam, Jenam, atque Lipsiam studiorum gratia salutavit. Cursu itaque Academico non

ſine laude confecto, tandem, ubi DEO viſum, in patria anno 1618. vocatus eſt ad Presbyterium Parochiale in locum defuncti M. Rhodii. Gener obtigit in primo Conjugio D. Simoni Pauli, Theologo Roſtochienſi (duxit enim anteceſſoris ſui relictam viduam *Gertrudem Paulinam* uxorem), in ſecundo D. Davidi Lobechio, Profeſſori Roſtochienſi (cujus filiam *Urſulam* ſibi aſſociavit), in tertio D. Johanni Bacmeiſtero, Medico Roſtoch. (qui ei filiam *Chriſtinam* nuptui dedit). Superſunt quædam conciones funebres ab ipſo ſparſim editæ. Mortuus eſt anno 1638. tempore peſtis d. 14. Sept. Suprema ei in funere verba dixit *M. Samuel Arnoldi*, Paſtor Cathedralis, quæ & publice prodierunt ann. 1639.

XI. M. PETRUS WILLEBRAND. Roſtochienſis. natus ann. 1597. Patre *Nicolao Willebrando*, J. U. D. & Profeſſ. Moral. Roſtoch. Matre *Catharina Heinia*, D. Friderici Heinii, JCti, Conſiliarii Mecl. & Conſulis Roſtoch. filia. Illo autem præmature defuncto, Vitrico uſus eſt Arnoldo Böttichero, J. U. D. Conſule ac Syndico Wismarienſi, cujus beneficio ſic adolevit, ut optimarum artium ſtudiis haud leviter tinctus in Academia patria tyrocinia deponere & cum fructu ad alias tranſire poſſet. Primo Jenenſem adiit, indeque Gieſſenſem: in illa D. Johannem Majorem, & Albertum Grawerum; in hac D. Joh. Winckelmannum, D. Balthaſarem Mentzerum atque D. Juſtum Feurbornium ſummos Theologos, veneratus eſt Præceptores. Confirmatus ſic ſtudiis ubi in Patriam rediit, accidit, ut ann. 1625. ad

Pa-

Pastoratum Güstroviensem, qui à morte M. Suantenii hic vacabat, in æde Parochiali unanimo suffragio eligeretur ac vocaretur: quo per XIII. annos sic functus est, ut valde probaretur bonis omnibus. † 1638. d. 3. Jul. Concionem ei funebrem habuit Collega M. *Laurentius* Langclaus/postea in vulgus editam; qui non multo post Collegam suum secutus est, ut ita ejusdem anni per-exiguo intervallo Ecclesia Parochialis utroque suo Pastore orbaretur. Sæviit nimirum Lues Epidemia Güstroviæ tum temporis, nec ulli pepercit ordini. Conjugium contraxerat M. Willebrandus cum *Elisabetha Bacmeisteria*, D. Lucæ Bacmeisteri hic Superintendentis filiâ, quam 6. mensibus ante in cœlum præmisit, relictâ tenerorum liberorum sobole.

XII. M. ZACHARIAS SCRÖDERUS. Rostochiensis. natus ann. 1609. d. 10. Mart. Patre *Zachariâ Schrödero*, cive Rostoch. primario, *Benedicti Schröderi*, primi Pastoris Luther. apud Ribbenicenses filio, *Joachimi Schröderi*, Pastoris olim Rostoch. Petrini (qui fuit *M. Slüteri* primi Rostoch. Evangelistæ Lutherani Collega) nepote; Matre *Annâ Pingeliâ*, Simonis Pingelii, Civis & Mercatoris Rostoch. filiâ. Ut primum permisit ætas, in schola Senator. Rostochiensi fecit initium studiorum M. Johanne Huswedelio & post illum M. Henrico Vulpio, Rectoribus. Hinc ad scholam Suerinensem progressus bienniumque in illa versatus a Superintendente Suerin. Friderico Wettero multum adjutus est. Anno 1627. ejusdem Wetteri beneficio Lubecam trans-

transiit, in scholam ibi receptus a celeberrimo Rectore & Polyhistore Johanne Kirchmanno; tum in Oratoriâ, styloque latino pariter ac græco eos fecit progressus, ut ab eodem Kirchmanno eximia caritate diligeretur, & discedens egregio Testimonio ornaretur. Studiis igitur, quæ ad Humanitatem pertinent, probe instructus, A. 1629. ad Academiam patriam Rostoch. sese contulit, D. Johannis Quistorpii, M. Joh. Kleinii, D. Stephani Klotzii, Professorum Lectionibus Theologicis atque Philosophicis ingenium animumque confirmavit expolivitque. Hinc ann. 1632. Academiam Pomeranorum Gryphicam adiit, D. Georgio Mascovio, D. Bartholomæo Batto, & Lic. Balthas. Rhawio, Professoribus atque Præceptoribus usus, puliceque sub Præsidio L. Rhawii de Gratiâ primi Hominis disputavit. Anno 1637. Rostochium reversus studia laudabiliter suscepta continuavit, donec anno 1638. exeunte à Güstroviensibus invitaretur ad habendam concionem δοκιμαστικὴν, quibus ita sese probavit, ut paulo post rite præsentatus plurimorum suffragiis Pastor Ecclesiæ Parochialis eligeretur ideoque vocatus sub initium anni 1639. in locum B. M. Willebrandi sufficeretur. Pastoratum hunc in ann. 36. cum laude gessit & Rev. Ministerii Senior obiit 1674. d. 13. Decembr. Concionem ipsi exsequialem (paulo post editam) habuit *Heimradus Grapius*, Pastor æd. Sp. S. cum proximus Collega *Clausingius* non ita dudum ab ejus latere inopina morte divulsus esset. B. autem Schröderus è priori Conjugio, quod cum *Elisabethâ* Hervordia patritia Rostoch. 1639.
con-

contraxerat, reliquit superstites filios: *Johannem*, Pastorem Levinensem in Præfectura Dargun. † 1681. *Zachariam*, Pastorem Sültzensem in Præfect. Ribbenicensi; *Lucam* Parenti defuncto surrogatum; Filias: *Elisabetham*, Joachimo Rhodio & Johanni Luningio, Pastoribus Grubenhagensibus successive nuptam, & *Johannam*, Johanni Christiano Netzebandio, Pastori Feteroviensi junctam. E posteriori Conjugio, quod cum *Annâ Lembkiâ*, M. Christiani Arndii, Profess. Rostoch. relicta vidua inierat, superstes ei mansit unica filia *Dorothea*, quam Martinus Balckius, Pastor Ecclesiæ Jabelensis prope Malchoviam 1679. sibi uxorem delegit. Dum vixit, varias in lucem emisit Conciones funebres, sparsim editas in memoriam Nobilissimarum Personarum. Effigies hujus Viri a sinistro summi Altaris latere in templo Parochial. cernitur.

XIII. M. MATTHÆUS MARCI. Colbergensis Pomeranus, natus 1615. d. 29. August. Parentibus *Johanne Marci*, cive atque cerevisiario Colbergensi, Matthæi Marci, civis Colbergensis filio, & *Emerentiâ Zilmeriâ*, Johannis Zilmeri filia, qui filium hunc in senectute sibi a DEO donatum studiis consecrarunt a teneris annis. Is cum in Patria fundamenta pietatis, artium & linguarum jecisset, anno 1634. Rostochiensem Academiam adiit atque Professorum Theologiæ ac Philosophiæ tum temporis celebriorum collegia cum publica tum privata sedulo frequentavit. In primis multum usus est *M. Samuele Boblio*, sub cujus Præsidio in Ebræo Idiomate publicas Disputatio-

tationes proposuit. Cumque præterea supremo Philosophiæ gradu insignitus ipse collegia Studiosis aperiret & sua docendi dona probaret, Domino providente ita factum est, ut A. 1639. vocaretur Güstroviam ad supplendam, quæ a morte M. Laurentii Langclausen vacabat, functionem Ecclesiasticam in æde Parochiali. Cui & in conjugio successit, relicta ipsius Vidua *Christinâ Bacmeisteriâ* uxore ducta, e qua, filium *Johannem* paulo post memorandum filiamque *Johannam*, M Matthæo Wiesen / Pastori Neo-Brandenburgensi nuptam, superstites reliquit. Ipse vero 1647. d. 20. April. mundo ac Ministerio valedixit, cui exsequialem concionem habuit Collega M. Zacharias Schröderus, typis postea exscriptam.

XIV. JOHANNES FRANCISCUS CLAUSINGIUS. Osnabrugensis, natus 1615. mense Aprili, Parentibus *Henrico Clausingio* & *Susannâ Strykiâ*, civibus Osnabrugensibus, quibus præmatura morte orbatus, filius Tutorum opera bonarum artium studiis in schola patria consecrabatur, sed metu Jesuitarum Orthodoxos exagitantium Hervordiam abiit, a Rectore scholæ *M. Francisco Schrödero*, Cognato suo susceptus, qui probe solideque ipsum latinis ac græcis literis erudivit. Indagatus autem à Jesuitis exploratoribus, qui capaci ipsius ingenio capiebantur 1630. Hannoveram à quodam milite Tilliano probo clam deductus est, ubi M. Johannis Strubii clarissimi Philologi scholam frequentavit, donec anno 1633. à tutoribus suis in Patriam revocaretur, sed propter diuturnam Osnabrugæ obsidionem Amstelo-

Relodamum ad fratrem ibi degentem diverteret, solutaque obsidione & pacatis paulisper in patria rebus scholæ Evangelicæ Osnabrugensi alumnum sese præberet per biennium Rectoris M. Strackriani opera multum adjutus in rebus Philosophicis. Anno 1637. in Academiam Rostochiensem sese recepit Caspari Schwartzkopffii beneficio allectus, cujus filium instituit in quintum annum. Hoc quinquennium ita tribuit Philosophicis studiis, Mathesi, Hebraicis, Theologicis literis, ut placeret Bonis omnibus. Anno 1644. in Academiam Borussiæ Regiomontanam concessit DD. Johanne Behmio & Cælestino Mislenta Præceptoribus in Theologicis usus. Interim plurimum debuit beneficio cujusdam Patricii Lubecensis *Henrici Kerckringii*, cujus filios per aliquot annos instituit, donec A. 1646. ad Con-Rectoratum Güstroviensem vocaretur, & sesquiennio post ad Pastoratum Parochialem, B. M. Marci in officio & conjugio successor, a. 1648. cui officio per XXV. annos præfuit. † 1674. d. 1. April. Concionem ei funebrem habuit edidítque Collega *M. Zacharias Schröderus*. Effigies hujus Viri in templo Parochiali adhuc conspicua est.

XV. M. JOHANNES MARCI, Güstroviensis. natus 1640. d. 14. Jul. Patre *M. Matthæo Marci*, Pastore hîc Parochiali, quem paulo ante memoravimus, Matre *Christina Bacmeisteria*, D. Joh. Bacmeisteri, Med. Profess. in Acad. Rostoch. filia. Primum in schola patria à Friderico Wittmanno, Sub-Rect. Blasio Grabio Con-Rect. & Andrea Metzmachero Rectore; tum Luneburgi in schola Johann.

à M. Nicolao Zimmermanno, Rectore, & Alberto Schultzio, Con-Rectore; postea Hannoveræ M. Justo Müllero, Rectore, & M. Hermanno Jacobi, Con-Rectore, fundamenta artium liberalium solida accepit. Hinc in Academiam Rostoch. delatus, in Philosophicis atque Philologicis M. Hermannum Beckerum & M. Matthiam Wasmuthum duces secutus est. In Theologicis veneratus est Præceptorem D. Johannem Frider. Königium, Theologum celeberrimum. Ut vero specimen exculti ingenii ederet, Præside D. Wasmutho, contra Waltonum & Vossium de puritate & integritate codicis Hebræi, item Præside D. Königio super dict. notab. Ezech. 18. & 33. Meynest du / daß ich gefallen ꝛc. publice disputavit. Post triennium Lipsiam, inde Jenam concessit studiorum gratia, ubi proprio marte elaboravit Disputationem Theologicam de Testamentorum divinorum V. & N. natura & differentia ex Jer. XXXI. quam præside D. Johanne Ernesto Gerhardo cum applausu defendit. Assumto deinceps Gradu Magisterii, ibidem de Accentuum Ebraicorum officio & usu præses disputavit, aperuitque Studiosis varia collegia Hebraica & Philosophica. Cumque in Metaphysicis Disputationem de perfecto publice habuisset, studio Theologico sese totum mancipavit, Musæum, Gerhardum, Chemnitium, Niemannum Theologos assidue secutus, qui ipsum in magnis habuerunt deliciis. Jena tandem missa perlustravit alias quoque Academias Witteberg. ac Helmestad. auctusque stipendio à Sereniss. Duce Mecleb. Gustavo Adolpho, ad Bel-

gas

gas & Britannos migravit, atque Amstelodami, Lugduni, Hagæ, Londini, Oxonii &c. in familiaritatem pervenit Clarissimorum in orbe literato Virorum. Reversus in patriam Vitrico suo graviter atque diu decumbenti concionando maximam tulit opem. Quâ occasione Sereniss. Princeps *Gustavus Adolphus* p. m. ipsum illustri suæ Bibliothecæ aulicæ præfecit, & paulo post facultatem ei concessit assumendi Gradum Doctoris Theolog. in quem finem conscripsit *Disputationem de jure DEI in creaturas rationales contra Stephanum Curcellæum.* Verum DEO aliter providente Ann. 1670. ad Pastoratum Ecclesiæ Dassoviensis prope Lübecam eligebatur. Hoc sacro officio in quartum annum laudabiliter functus, cum nec careret tentationibus gravioribus, his tamen DEI beneficio superatis in laudem sui Creatoris edidit Tractatum germ. idiomate: **Der Creaturen Lob und heiliger Danck gegen ihren Schöpffer und HErrn** super Psalm. CXLV. vers. 10. 11. 12. 13. Anno 1674. defuncto vitrico suo Clausingio ut succederet, Güstroviam vocatus est, ex quo tempore Pastoratum hic Parochialem in XIV. annum ita gessit, ut gratus atque carus esset omnibus. Conjugium iniit cum *Magdalena Tarnovia*, Hermanni Tarnovii Pastoris Dassoviensis & Antecessoris sui filia, ex quâ superstitem reliquit unicam filiam *Christinam Margaretham* successori tandem suo nuptam. A. 1687. ipsi oblata fuit a Serenissimo Principe nostro *Gustavo Adolpho*, Superintendentura & Professio Theologica Rostochiensis, quam dignitatem vero idem deprecabatur

imbecillitatem corporis caussatus. Nec ita multo post ann. 1688. d. 15. Febr. præmatura decessit morte Vir desideratissimus deque Ecclesia Güstrov. longe meritissimus idemque Rev. Ministerii Senior. In obitum ejus concionem exsequialem habuit Collega *M. Lucas Schröderus*, typis postea vulgatam. Beatus vero præter superiùs allegata Scripta sparsim quoque edidit multas conciones funebres. Beati Viri effigies in templo Parochiali in memoriam ejus elevata cernitur.

XVI. M. LUCAS SCHRöDERUS, *Zachariæ* filius, Güstroviensis, natus anno 1649. d. 2. August. qui familiam paternam à *Joachimo Schrödero*, Rostoch. olim M. Joachimi Slüteri in reformanda Ecclesia Rostochiensi fido socio & in Pastoratu Petrino ibidem successore, quem Abavum veneratur, ducit; maternam vero e matre *Elisabetha Hervordiâ* partim a Bacmeisteris, clarissimis in orbe literato Nominibus derivat, quorum *D. Lucas Bacmeisterus* Senior, Professor & Superintendens Rostoch. ipsi Abavus, & D. Lucas Bacmeisterus Junior & Superintendens Güstroviensis (quorum & Præ-nominio hæres factus) ipsi Proavus obtigit. Studiorum initium in Gymnasio patrio fecit ducibus Rectoribus *Andreâ Metzmachero*, dein, post Gymnasii nostri instaurationem, *L. Andrea Godofr. Ammone*, & Conrectore *M. Daniele Parschitio*, Hungaro, quibus prima Literarum fundamenta accepta retulit. Anno 1667. relicta Patria, cui & *Oratione metricâ de conversione Gentis Vandalica valedixit*, concessit Lübecam: ibidem

in-

institutione Rectoris clarissimi *Nermanni Nöttelmanni*, mensâ vero & consuetudine *Jacobi Gôtrenii*, Pastoris Johannæi Polyhistoris & Antiquarii egregii, non sine insigni studiorum fructu, usus. Sequente anno, ætatis 18. ex consilio Parentis Academiam adiit Wittebergensem, ubi post Professores publicos privata institutione, in Philosophia quidem *Schurtzfleischii* & *Schwartzii*; in Philologia Ebræa *Augusti Pfeifferi* tum temporis Profess. extraord. post Theol. D. & Superint. Lübec. itemque *Joh. Guilielmi Hilligeri*; in Philologia græca vero *Balthasaris Stolbergii* est gavisus. Ad pedes etiam Theologorum frequens sedit, atque inprimis *B. Meisnerum* in Synopsin Theol. a se ipso editam legentem, *Quenstedium* vero Theologiæ Systema proponentem audivit. Post exactum ibi fere triennium & habitam Præside *B. Stolbergio* ad Marc. VII, *de Corban Judæorum* Disputationem, sub finem anni 1670. *Jenensem* visitare *Scholam* ipsi allibuit, in *B. Musæum* & *Bechmannum*, si à publicis horis discesserit, privatos Præceptores, illum in collegio *super controversiis* inter A. C. Theologos agitatis, itemque *Anti-Wendeliano*, hunc in *Collegio Locorum Theol.* & *super Evangelistas* institutis habuit. Inde vero domum sub initium anni 1672. revocatus post brevem apud suos moram in Academiam patriam Rostochiensem sese contulit, in qua eodem anno Magisterii titulo ornatus proficientium studia ipse iterum habitis in Philosophia & Philologia Collegiis privatis, pro virili juvare allaboravit, duas etiam Disputationes Pnevmaticas *de æternitate DEI*

Præses propoſuit. A Theologorum vero, maximè *D. Auguſti Varenii* commentantis in Librum Jobi & refutantis famoſi illius Jeſuitæ *Jacobi de Haye* ſcriptum, quod Licht der Welt dixit, & *D. Henrici Mülleri Controverſias Anti-Calviniſticas* tractantis, ore ſedulus pependit, à quibus etiam ſingulari favore & benevolentia ſe cohoneſtatum ſemper profeſſus eſt. Sub finem vero A. 1675. *Güſtroviam* eſt vocatus, ad capesſendum in locum B. Parentis *munus Eccleſiaſticum*, quod & anno 1676. ineunte ſummi Numinis gratia fretus, aggreſſus eſt atque per annos XXV. ſumma fide ac ſolicitudine, ad totius civitatis voluntatem, ſuſtinuit *Senioris* tandem *Miniſterii Güſtrov.* dignitate inſignitus. Interea ſociam in thalamo ſibi junxit *Catharinam Dorotheam Mejeriam*, Sebaſt. Mejeri, Med. D. & Phyſ. Güſtrov. filiam, *M. Sebaſtiani Mejeri*, Rectoris olim Güſtrov. & poſtea Lubec. neptem, e qua ſobolem utriusque ſexus adhuc dum efflorescentem vidit. Cæterum quamvis plane ſecundum ſuum & Eccleſiæ votum conſtituerit, officio illi immori, viſum tamen aliter fuit ſummo Rerum noſtrarum Arbitro atque Eccleſiarum ſuarum Curatori Jeſu Chriſto, qui ipſum nihil minus vel cogitantem vel optantem, ab Ampliſſimo Magnificoque Senatu Stralesſundenſi ad vacantem ex beato diſceſſu *D. Johannis Bandewini Miniſterii Ephoriam & Paſtoratum Nicolaitanum*, conſentiente tota Eccleſia Menſe Decembri A. 1700. electum & vocatum voluit. Equidem ægre ſibi Patria Paſtore ſuo, quo jam per XXV. annos erat uſa, primùm carere poſſe videbatur; tandem tamen

men voluntatem divinam ex luculentis momentis Theologorumque Responsis edocta pie cessit ac in abitum ejus placide consensit. Ipse igitur Anno 1701. Dom. Jubilate Ecclesiæ hîc Parochiali patriæque simul urbi frequentissima concione valedixit finemque Ministerii sui fecit *è capite ultimo Evang. Johannis à vers. 15. usq; ad finem*: Prodiitque in lucem postea Ejus Valedictoria Güstroviensis sub titulo: **Schluß des geführten H. Ambts in der Fürstl.** Residence **Güstrow aus dem Schluß des Evangelii St. Johannis.** Stralesundi autem honorifice exceptus d. 10. Maji Munus *Superintendentis, Pastoris Nicolaitani, Consistorii Assessoris & in Gymnasio Theol. Professoris* capessivit & non multo post SS. Theol. Doctoris infula in Academia Gryphica à Magnifico *D. Jo. Friderico Majero*, Consiliar. Eccles. & Superintendente per Pomer. Generali ornatus est, prævia Disputatione inaugurali de Episcopissis V. Ecclesiæ mens. Febr. 1702.

XVII. HENRICUS ERNESTUS REIMARUS, Bilwarda Hamburgensis. Parente M. Johanne Reimaro, Pastore Ecclesiæ Bilwardensis sub ditione Hamburgensi sitæ procreatus, postquam ei uterque Parens prætmatura morte eriperetur, statim procurantibus id tutoribus suis, privatis & publicis Præceptoribus traditus fuit, per Dei etiam gratiam & in schola Hamburgensi patria & Gymnasio Lüneburgensi tantum profecit, ut anno 1681. in Academia Wittebergensi Albo Studiosorum inscriberetur. Quo facto ibi per 3. annos commoratus in Philosophia au-

divit acutissimum Philosophum *Donatum* in Logicis, Metaphysicis & Pneumaticis; in Ethicis ac Politicis Prof. *Röbrensem*; in Theologia tum thetica tum polemica *D. Deutschmannum*, *D. Quenstedium* & *Waltherum*. Exacto triennio, 1684. Lipsiam sese contulit, & paulo post Jenam, ubi in audiendis variis Doctoribus tam Theol. quam Philosoph. fere annum consumsit. Quo præterlapso suis visum fuit, ut domum rediret, quod antequam faceret, Luneburgum petiit, ibique concionandi facultatem a Viro summe Reverendo *D. Sandhagen* adeptus, aliquoties publicas conciones habuit. Tum in Patriam reversus pro more Studiosorum ab omnibus sex Pastoribus Rev. Ministerii Hamburg. examinatus licentiam ibi quoque concionandi impetravit. Qua ab illo tempore sic fuit usus, ut non tantum ægrotantibus Pastoribus cæterisque Verbi divini Ministris sæpe succurreret, sed etiam sub auspiciis Antistitum Ecclesiæ D. Petri per biennium conciones matutinas die Jovis ibi habendas per Dei gratiam in se susciperet. Hos inter labores neque Linguarum neque Polemicæ Theologiæ studia unquam neglexit, sed, uti sæpe occasio fuit oblata, habuit certamina cum Pontificiis, Mennonistis, Judæis & non raro cum Atheis, & novis Prophetis s. fanaticis. Ut autem ipsi etiam copia esset cum ægrotis, melancholicis & ejusmodi aliis conversandi, utque mature, quomodo illi tractandi essent, addisceret, convictu atque domo *Dn. Mülleri*, Archidiac. ad D. Nicol. plurimum usus fuit; atque hac ratione ea percepit, quæ alius in Academiis diutissime vivens vix

ac

ac ne vix quidem potuisset addiscere. Inter hæc studia anno 1688. mense Febr. à B. Seniore Rev. Minist. Hamb. *D. Klugio* Senatui Husumensi commendatur fuit, qui ab eo, ut aliquot sibi Candidatos ad Rectoratum ibi capessendum denominaret, expetierat. Eodem anno ab Antistibus Ecclesiæ Jacobeæ Hamburg. inter illos candidatos relatus est, qui concionibus *δοκιμαστικαῖς* sua officia & studia Ecclesiæ exhiberent, & ex quorum numero postea Electio fieret suffragante Ecclesia. Non multo post a Senatu Nobiliss. atque Ampliss. Güstroviensi vocatus est ad habendam hic concionem probatoriam, cumque Deo ita placeret, ut anno eod. exeunte 1688. Dom. I. Adventus Pastor Ecclesiæ Paroch. legitime eligeretur, vocatio & introductio confestim subsecuta fecit illum successorem B. M Johannis Marci, quem & postea, delecta sibi ejusdem filia unica in matrimonium, socerum veneratus. Huic autem officio sacro non diutius quam 14. annis præfuit, anno 1702. d. 19. Nov. magno suorum & bonorum omnium desiderio defunctus. æt. 39. Habuit hic aliquot conciones in funeribus publicis, quarum illa, quam in memoriam b. *Joh. Petri Tarnovii*, J. U. Candidati dignissimi Anno 1701. d. 26 Sept. conscripsit, sub titulo: **Der die Sache GOttes kläglich führende und Glück-findende fromme Jurist** / occasione Psalm. LXXIII, 23. 24. in propatulo est.

XVIII. M. JOHANNES HÖVET, Stralesundensis. Patre *Johanne Hövet* / Mercatore ibi primario, *Johannis Höveti*, Senatoris olim & *Cathari-*

na Hagemeisteria filio; Matre *Ilsabe Fridlibia*, *B. Philippi Henrici Fridlibii*, SS. Theol. D. & Superintendentis quondam Stralsundensis celeberrimi uti & *Margareta* Schlamans filia, natus. E Gymnasio patrio, positis tyrociniis, in Gryphiswaldensem Academiam anno 1689. concessit, ut ad Philosophicum Theologicumque studium animum applicaret. Hinc anno 1690. Wittebergam petiit, ubi per biennium commoratus de *Achitophelismo Machiavelli* publice disputavit. Inde Lipsia Jenaque salutatis ad Pomeranos reversus 1693. Gryphicas Musas revisebat, sed A. 1694. in Academiam Rostochiensem sese contulit, Academica studia prosecuturus. Ibi Magisterii titulo auctus 1696. sub D. Francisci Wolffii, Hospitis sui, tum Profess. Rostoch. nunc apud Hamb. Pastoris Theologi Præsidio Disputationem publicam *de Scriptura Sacra* respondendo defendit, variisque postea collegiis Philosophicis studiosam juventutem juvit, donec 1699. scholæ oppidanæ Rostoch. Rector præficeretur & tandem 1701. Güstroviam ad Pastoratum Ecclesiæ Parochialis solenni ritu electus vocaretur, quo officio adhuc per Dei gratiam apud nos incolumis fungitur. Confer. Rostoch. literat.

XIX. M. JOHANNES Ehrenfried PFEIFFER, Misena Misnicus, Patre natus *Augusto Pfeiffero*, SS. Th. D. Lipsiensium olim Theologo Profess. nuperrime Lubecensium Superintendente, & Matre *Euphrosyna Hertzogiâ* (quam Jo. Hertzog Ecclesiastes Dresdensis è *Barbara Sabina Vollhardia* genuerat) A. 1676. d. 14. Jan. Inde ab anno æt. XIII. quotempore

pore Parens Lubecam concesserat, Gymnasio ibidem interfuit. A. 1695. ineunte Kilonium accessit, mutato autem Patris animo, Wittebergam eodem anno petiit, ibidemque D. Phil. Lud. Hannekenii Tractationem *de Gradibus Sanctitatis* respondendo defendit. Altero anno bruma ingruente Magistri titulum recepit, atque hinc porro secundo anno 1697. mense Octobr. *de dignitate occidentalis Plagæ apud Ebræos*, Respondente Christophoro Wœniger, disputavit. Hinc factus ad Parentem redux eodem tertio post mense orbatus fuit. Postea auspiciis Dn. Sebastiani Gerickenii JCti & Senatoris, Dn. Johannis Nolto, Medici primarii, & Dn. Joh. Petri Steinii, Pastoris Ægidiani admotus est Schabbeliano Beneficio. Cum isto Rostochium abiit Calendis Decembr. 1698. singulari fere casu post quinquennium, cui stipendii lex eum adstrinxerat, iisdem Calendis accepta ad munus sacrum vocatione ad suos reversus. Nimirum Anno 1703. Academia Rostochiensi (ubi varia Eruditionis specimina in Philosophicis ac Theologicis edidit, v. g. *A. 1699. Orationum funebr. bigam, Patri & D. Radovio dictam. A. 1700. Disputationem contra Trilleri opusculum:* Untersuchung etlicher Oerter des Neuen Testaments. Ann. 1701. extortam sibi à nonnemine *Apologiam*. Itemque *Pentada Thesium Theol. de Dei Præscientia, de Pœnitentia lapsorum, de Phrasi biblica vel sacra* quoad sermonem familiarem, *de probatione Scripturaria circa Dei existentiam & de remissione ac retrogrado peccati reatu.* &c.) evocatus est a Senatu Güstrov. ad sermonem sacrum ex hospi-

na Hagemeisteria filio; Matre *Ilsabe Fridlibia, B. Philippi Henrici Fridlibii*, SS. Theol. D. & Superintendentis quondam Stralsundensis celeberrimi uti & *Margareta* Schlamans filia, natus. E Gymnasio patrio, positis tyrociniis, in Gryphiswaldensem Academiam anno 1689. concessit, ut ad Philosophicum Theologicumque studium animum applicaret. Hinc anno 1690. Wittebergam petiit, ubi per biennium commoratus de *Achitophelismo Machiavelli* publice disputavit. Inde Lipsia Jenaque salutatis ad Pomeranos reversus 1693. Gryphicas Musas revisebat, sed A. 1694. in Academiam Rostochiensem sese contulit, Academica studia prosecuturus. Ibi Magisterii titulo auctus 1696. sub D. Francisci Wolffii, Hospitis sui, tum Profess. Rostoch. nunc apud Hamb. Pastoris Theologi Præsidio Disputationem publicam *de Scriptura Sacra* respondendo defendit, variisque postea collegiis Philosophicis studiosam juventutem juvit, donec 1699. scholæ oppidanæ Rostoch. Rector præficeretur & tandem 1701. Güstroviam ad Pastoratum Ecclesiæ Parochialis solenni ritu electus vocaretur, quo officio adhuc per Dei gratiam apud nos incolumis fungitur. Confer. Rostoch. literat.

XIX. M. JOHANNES Ehrenfried PFEIFFER, Misena Misnicus, Patre natus *Augusto Pfeiffero*, SS. Th. D. Lipsiensium olim Theologo Profess. nuperrime Lubecensium Superintendente, & Matre *Euphrosyna Hertzogiâ* (quam Jo. Hertzog Ecclesiastes Dresdensis è *Barbara Sabina Vollhardia* genuerat) A. 1676. d. 14. Jan. Inde ab anno æt. XIII. quo tempore

pore Parens Lubecam concesserat, Gymnasio ibidem interfuit. A. 1695. ineunte Kilonium accessit, mutato autem Patris animo, Wittebergam eodem anno petiit, ibidemque D. Phil. Lud. Hannekenii Tractationem *de Gradibus Sanctitatis* respondendo defendit. Altero anno bruma ingruente Magistri titulum recepit, atque hinc porro secundo anno 1697. mense Octobr. *de dignitate occidentalis Plagæ apud Ebræos*, Respondente Christophoro Wœniger, disputavit. Hinc factus ad Parentem redux eodem tertio post mense orbatus fuit. Postea auspiciis Dn. Sebastiani Gerickenii JCti & Senatoris, Dn. Johannis Nolto, Medici primarii, & Dn. Joh. Petri Steinii, Pastoris Ægidiani admotus est Schabbeliano Beneficio. Cum isto Rostochium abiit Calendis Decembr. 1698. singulari fere casu post quinquennium, cui stipendii lex eum adstrinxerat, iisdem Calendis accepta ad munus sacrum vocatione ad suos reversus. Nimirum Anno 1703. Academia Rostochiensi (ubi varia Eruditionis specimina in Philosophicis ac Theologicis edidit, v. g. *A. 1699. Orationum funebr. bigam, Patri & D. Radovio dictam. A. 1700. Disputationem contra Trilleri opusculum*: Untersuchung etlicher Oerter des Neuen Testaments. Ann. 1701. extortam sibi à nonnemine *Apologiam*. Itemque *Pentada Thesium Theol. de Dei Præscientia, de Pœnitentia lapsorum, de Phrasi biblica vel sacra* quoad sermonem familiarem, *de probatione Scripturaria circa Dei existentiam & de remissione ac retrogrado peccati reatu.* &c.) evocatus est a Senatu Güstrov. ad sermonem sacrum ex hospi-

Duce *Gustavo Adolpho*, p. m. Pastor Ecclesiæ Hospitali ad ædem Spiritus S. obtigit: adhibitus etiam (speciali ejusdem Ducis jussu) institutioni catecheticæ junioribus in Aula Principibus. Ex quo tempore non de sua tantum, sed omni etiam Ecclesiæ Güstroviensi optime meritus est: accidit enim, ut & extra ordinem in templo Cæciliano s. Cathedrali conciones catechetica matutinæ singulis feriis dominicis ipsi habendæ offerrentur, præterque has in Aulico & Parochiali templo, sive vacantibus vicibus sive deficiente ordinario Presbytero, ad sacra procuranda identidem vocaretur: cui senescenti DEUS vires ac incolumitatem porro velit concedere.

(6)

Gymnasii Rectorum ac reliquorum Scholæ Güstroviensis Collegarum.

I.

M. WOLFFGANGUS LEOPOLDUS. Fribergensis Misnicus. primus instauratæ scholæ post Papatum Rector anno 1553. seqq. antea Principum Mecleburgensium *Ulrici*. *Christophori*, & *Caroli* in juventute informator, à B. *D. Chytræo* in Orat. funebri Mecleb. *Christophoro* habita laudatus, quod fuerit *elegantis & politi ingenii, doctrina ac industriæ Vir, quiq; illustris Ludi Güstroviensis studia fideliter & feliciter rexerit.* Laudatus & à B. *Johanne Caselio* in Oratione Ducis Mecl. *Caroli* 1610. memoriæ consecratâ: qui *Christophorum* & *Carolum* Principes

cipes educari se vidisse, commemorat, *ab erudito Viro Leopoldio Misnico, qui postea solutus hoc Principum magisterio, deinceps multis annis, ipsi (Caselio) peramicus, vixerit pueritiam Güstroviensem.* † 1565. Mense Septembr. tempore pestis. Collega ejus fuit

M. Zacharias Scheffter, Suerinensis. Conrector. qui ann. 1563. hinc discessit ad Pastoratum viciniroppiduli Schwaan. † 1585. quique reliquit è *Margareta* Leitken / Güstroviensi filium *M. Zachariam Schefferum*, primò *Coburgensis*, postea *Hamburgensis* Gymnasii Rectorem, anno 1625. adhuc superstitem.

II. M. ANDREAS SCHOPPIUS. Rector. vocatus A. 1565. è Rostochiensi Academia, ubi ann. 1564. habuit *Orationem parentalem* in memoriam *M. Matthæi Judicis*, Theologi satis noti, cujus de exilio, afflictionibus, laboribus, conjugio, amicitia multa commemorat. Post triennium vero 1568. hinc aliorsum ad functionem Ecclesiasticam evocatus abiit. Confer. etiam de hoc Viro Melch. Adam. Vit. Theol. in Joh. Wigando. Collegæ ipsi fuerunt tum temporis

M. Franciscus Oemichius. Conrector. vocat. 1566.

Andreas Leopold. Collega,

Stephanus Fischer. Cantor &c.

[M. Andrea Schoppio hinc ad aliam spartam digresso, duo quidem ingeniô ac doctrinâ præstantissimi Viri ad Rectoratum Sch. Güstroviensis postulabantur, alter *M. Henricus Timannus*, Bremensis, qui Scholæ Suerinensi Cathedrali aliquantisper Prorector

præ-

Paulus Tarnovius, Professor inde Theol. Rostoch.

M. David Herlitius. Citensis Misnicus. Conrector. anno circit. 1582. insignis ille Poëta, Mathematicus, Physicus & Astrologus. Qui, cum hinc discessisset, factus est Physicus & Poliater Primislaviensis, tum Anclamensis, porro Mathematum Profess. Griphiswald. inde Medicinæ Doctor & Physicus Stargardiensis, mox Lübecensis, ac demum iterum Stargardiensis † 1636. anno æt. 78. Quæ exaravit Scripta, vid. in Witten. Diar. Biograph. ad Ann. 1636.

M. Jacobus Hemsted. Stendaliensis. Conrector 1584. - 1594. Minister simul Ecclesiæ Güstrov. antea Pastor Ecclesiæ Gnöjensis. Vide paulo superius.

Johannes Biesenthal. Subrector.

Stephanus Fischer. Cantor.

Balthasar Breddin. Succentor. factus anno 1592. Pastor Ecclesiæ Wadmanshagensis.

Joachimus Frölich.

V. M. CHRISTIANUS DORNMANN. Rector. evocatus 1591. Neo-Brandenburgo, qui per duodecim annos huic Scholæ præfuit, insignemque reportavit laudem. Collegæ ipsi obtigerunt:

M. Ludolphus Barcaus (Barkey) Conrector.

M. Nicolaus Leppin. Plaviensis.

Matthias Eberdes. Cantor.

Johannes Rossack.

Jacobus Becker.

VI. M.

VI. M. LUDOLPHUS BARCÆUS s. Barckey / Bilefeldensis Westphalus, Rector: qui supra XX. annos partim Conrectoris, partim Rectoris munere hîc functus est † 1618. Gener obtigit M. Francisco Oemichio, cujus filiam Annam uxorem duxit, cum qua suscepit filios: *Johannem*, *Ludolphum* literatos (præmaturâ morte functos) & *Franciscum* Barckeyen / civem & Aromatopolam Güstrov. (cujus nepotes nostrâ jam ætate hic vivunt) filias autem *Sophiam*, Donato Scheidern / Secretario olim Judicii Prov. Sternberg. nuptam, & *Helenam*, Johanni Lemcken / civi & Aurifabro Güstrov. junctam. Collegæ M. Barcæo fuerunt:

M. Joachimus Raticbius s. Racke / Rostoch. Con-Rector. Petri Tidemanni, Pastoris hîc Parochi. (cujus superius facta est mentio) Gener. Cum per XVI. annos hoc officium administrasset, remigravit in Academiam Rostoch. † 1623.

Johannes Buschius, Subrector.

Matthias Eberdes, Cantor.

Jacobus Becker.

Joachim Probst, & reliqui.

VII. M. SEBASTIANUS MEJER. Lübecensis. Rector vocatus an. 1619 ex Academia Rostochiensi, sed ob tempestatem Wallensteinianam hinc sese evocari passus est Lübecam 1629. cujus Scholæ Subrector, tum Conrector, tandem Rector factus est. † 1664. æt. 70. Hic in obitum *M. Enochi Suantenii*, Pastoris Parochialis, conscripsit ediditque 1624. *Orationem exsequialem latino idiomate*. Quæ post-

ea ediderit, vide in Witten. Diar. Biograph. ad Ann. 1664. Collegæ ipsi fuerunt:

M. Petrus Gœtsche, Conrector. vocat. 1619.
Jacobus Becker, Subconrector.
M. Georgius Prætorius (Schultze) Cantor.
Joachimus Schönemann. } *inferiores.*
Andreas Senstius.
Ulricus Amsel.

VIII. M. GEORGIUS SCHEDIUS, Glauchâ Misnicus. Rector. vocatus 1629. antea Cadani & Commodoviæ in Bohemiâ Scholar. Evangel. Moderator: unde Religionis causâ technis Jesuitarum in exilium ejectus, hospes venit in Academiam Rostochiensem. Tum in vicina Schola Bützoviensi aliquantisper *Rector* extitit, donec A. 1629. tempestate Wallensteiniana vocaretur Güstroviam. Gessit hunc Rectoratum per annos XXII. † 1650. valde senex, æt. 71. Publicæ luci hic exposuit varia *Dramata* e. g. de *Josepho* a fratribus vendito; de *Absalone* fratricida, exule, reduce; *Tragœdiam Belli tricennalis* German. sub Personis Adad-Esaris Sabæ, Adadi Damasci, Davidis Judææ, & Thoi Æmathiæ Regum. *Viridarium Philologico-Historicum* in III. Centuriis. *Hypomnemata Passionalia*, tribus Actibus, salutiferam Jesu Nazareni Passionem carmine Jambico, repræsentantia. *Aras Familiæ* Schediorum. *Orationes funebres* s. Parentationes in Obitum *D. Lucæ Bacmeisteri*, & *M. Danielis Michaelis*, Superintendentis Güstrov. hujusque conjugis *Annæ* Merteliæ &c. Elaboravit & alia multa v. g. *Progymnasmata Aphtho-*

f. nii

nis variis & novis exemplis dilucidata. *Discurs. de Angelis*, Carmine Heroico. *Libr. sacrorum Carminum. Threnos Jeremiæ* Anacreontico. *Epicediorum* & *Epithalamiorum* II. Volumina vario genere. Hæc autem temporis injuria lucem publicam non viderunt. Fuit ipsi e Conjuge *Esthera* Taubnerin unicus Filius: *M. Elias Schedius* P. L. C. & J. U. Candidatus, juvenis doctissimus, in ipso ætatis suæ flore 1641. ante Patrem e vita decedens, Auctor Tractatus *de DIs Germanis*. Cui Orationem funebrem latino Idiomate scripsit *Stephanus Hane* Ecclesiastes Güstr. Cathedr. Patri autem *M. Georgio* parentavit Oratione latina *Andreas Metzmacher*, Rector Scholæ Güstroviensis. Collegæ fuerunt M. Schedio in officio Scholastico successive:

M. Georgius Völkner, Rostoch. *Stephanus Hane*, Pastor simul Reinshagensis. *Johannes Franciscus Clausingius*, tandem Pastor Paroch. *Andreas Metzmacher*, Conrectores:

Jacobus Seibertus. *M. Joachimus Strefovius*, ad officium Ecclesiast. tandem promotus. *Joachimus Baumann*, Pastor tandem Röbelensis. *Andreas Bötticher*, Pastor demum Beutzenburgensis. Sub-Rectores.

Georgius Zabelius. *Joachimus Geistius*. Cantores.

Georg. Christianus Holtzapffel/ Collega inferior.

IX. ANDREAS METZMACHER. Rector. qui cum antea Subrectoris & Conrectoris munere distinctis vicibus functus esset, tandem B. Schedium, cujus ex sorore neptem duxit uxorem, anno 1651. in Rectoratu excepit perque XII. annos huic Scholæ præfuit. Anno 1663. hinc evocatus est ad Pastoratum Malchinensem, & inde A. 1668. ad Ministerium Cathedrale Güstrov. in quo consenuit, † 1682. vide superius. Collegæ in Schola ipsi fuerunt:

M. Blasius Grubius, Mülhusa Thuringus. Conrector. qui hinc abiit ad Rectoratum Scholæ Rostoch.

Fridericus Wittmann, Neo-Brandenburgensis. & cum hic abiisset ad Pastoratum Beutzenburgensem, *Hartwig Hane*, Steph. F. Güstroviens. Subrectores.

Joachimus Geistius, Teteroviensis. Cantor.

Melchior Dorn, Luchoa-Lüneburg. postea Pastor Ecclesiæ Slatensis prope Parchimum.

Georgius Martini, Lüneburg. tandem Pastor in Serran, & post hunc *Andreas Wittmann*. Neo-Brandenburg. Succentores.

Nicolaus Lüttens / Rostoch. Collega inferior, tandem Pastor in Zehna.

X. M. ANDREAS GODOFREDUS AMMON, Göttingensis. Rector. vocatus A. 1663. qui hanc Scholam in Gymnasii solidioris formam redegit, & in Arte Oratoria plurimum præstitit, uti Programmata ipsius passim obvia adhuc testantur. Excelluit etiam in Arte poetica, quemadmodum *Epicedium*

dium ipsius, quod A. 1666. d. 29. Mart. Sereniss. Principi *Annæ Sophiæ* natæ Duc. Meclenburgicæ, viduæ Duci Silesiæ, Lignicii &c. in publica Panegyri dixit, ediditque, declarat. Anno 1667. hinc abiit ad Rectoratum Gymnasii Sedinensis, factus SS. Th. Licentiatus, & tandem Superintendens Wunstorpiensis in Ducatu Brunsuicensi. Collegæ fuerunt ipsi:

M. Daniel Parschitius, Hungarus. & *Johannes Zimmermannus*, Lüneburg. Conrectores.

Dietericus Lüzovius, Güstroviensis. Subrector. Reliqui inferiores, ut suprà.

XI. M. GODOFREDUS VOIGTIUS, Delitio-Misnicus. Rector. vocatus Ann. 1668. ex Academia Wittebergensi: qui methodum declamandi & disputandi Academicam, ab *Ammone* introductam, volente ita Principe Nutritio, non retinuit modo, sed & amplificavit, & præter styli puritatem fundamenta quoque Philosophiæ ac Theologiæ solidè posuit. Nec ipse contentus fuit gradu Philosophico, sed & in Theologia summos petiit Honores, factus Licentiatus, habita Giessæ *Disputatione inaug. de Calice ac mensa Domini ac Dæmonum*, ann. 1678. A. 1680. edidit Tractatum Theologicum *de Presbytero legitimo Ordinationis ministro* contra Jesuitam P. Sevenstern. Item *de communione* sub utraque specie. Tractat. de *Fide infantum*. In Philosophicis in lucem protulit: Curiositates Physicas. Item delicias Physicas germanicè. Contra nivis albedinem realem Dissert. De SS. Unius Divinitatis Triade,

De lacrymis crocodili. De Honore. De conventu sagarum ad sua Sabbata. De Anima. De fortitudine. De stillicidio/sanguinis ex interemti hominis cadavere, præsente occisore. Indices Latinitatis corruptæ atque incorruptæ. Conjugium hîc iniit cum *Ludomilâ Jani* Superintendentis nostri filia. Anno 1681. ab Hamburgensibus hinc evocatus Scholæ Johann. Rectoratum ibi capessivit. † 1682. æt. 38. confer. Witten. Diar. Biograph. ad Ann. 1682. Collegæ ipsius fuerunt:

M. Cornelius Pittelius, P. L. C. Garza Meclenb. Conrector. † 1685.

Dietericus Lützow/ Güstroviensis. Subrector. † 1684.

Joachimus Geislius, Teteroviensis. Cantor. † 1679.

Theodorus Räst, Neo-Brand. Succentor. vocatus ad Pastoratum vicinum Reinshagensem. † 1701.

Jacobus Hoffmann/ Dresdensis, insignis Mathematicus †. *Burchardus* Küster/ Dannebergensis † *Christophorus* Köhler †. *Michael Bl ncke* jam Pastor Lagensis. inferiores.

XII. M. JOHANNES MANTZEL. Rostochiensis. Rector. vocatus 1681. antea Profess. Græc. Lingv. in Academia Rostoch. Vir in antiquitatibus Græcis ac Latinis Rebusque Historicis versatissimus: Qui cum XIII. annos huic Gymnasio laudabiliter præfuisset, anno 1694. annuente Sereniss.

Du-

Duce G. A. hinc ad *Pastoratum & Præpositurum Neo-Caldensem Dargunensemq;* evocatus, valedictoriam Orationem habuit *de Scholarum & Scholastici muneris dignitate ac præstantia.* Quem Dioecesi Ecclesiæque suæ DEUS velit quam diutissime superstitem esse ac sospitem! Collegæ fuerunt ipsi in hac Schola:

M. Joh. Matthæus Polemann, Lüneburg. Conrector, † 1693.

M. Jacobus Dürfeld, Osnabrugensis, Subrector, voc. 1685.

Thomas Ramsay, Fridlandensis. Cantor. voc. 1679.

Johannes Hermannus Götze, Mülhusa Thuringus. Succentor. vocat. 1679. † 1702.

Burchardus Küster/Dannebergensis. † 1700.

Henricus Krüger/ Güstroviensis, vocatus 1680.

XIII. NICOLAUS WASMUTH. Pritzwalc. March. Rector. vocat. 1694. Vir multum in Scholis versatus, & disciplinæ veteris observantissimus, Philologus & Antiquarius insignis. Primùm Scholæ *Neo-Brandenburg.* Rector præfuit, tum *Suerinensium* Conrector, postea *Parchimensium*, interjectoque intervallo *Anclamensium* Scholas rexit multa cum laude, donec anno 1694. a Festo Michaelis Güstroviam vocatus non amplius triennio Scholæ nostræ præesset, morte præpopera, licet beata, abreptus 1697. d. 23. Nov. supersunt adhuc quædam ipsius *Programmata*, quæ solennibus Actibus progymnasmaticis

ſmaticis olim præmiſit. E conjuge *Elſabe Laurentiâ* Iſaaci Laurentii, Paſtoris olim Neo-Brand. filia, ſuperſtites eidem fuerunt II. filii: *Joh. Jobus* & *Nicolaus*, quorum ille SS. Theol. & Philoſoph. Studioſus 1694. in Acad. Roſtoch. obiit; hic vero etiamnum caſtra Muſarum ſequens patria legit veſtigia.

XIV. M. JOHANNES HENRICUS KNOBLACH. Witteberg. Saxo. Rector. vocatus A. 1698. menſe Februar. ex Academia Wittebergenſi, quæ ipſum Philoſophiæ *Adjunctum* delegerat, quique ipſam variis eruditis ſpeciminibus ornaverat, editis nimirum de *Apide Ægyptiorum idolo*; de *Effigie Jeſuitarum*, a J. A. Thuano in Hiſt. libr. expreſſa; de *Excidio Anti-Chriſti* 2. Theſſ. II. 8. Diſputationibus partim philologicis, partim Theologicis, aliisque Scriptis, v. g. *Vindiciis Verſionis B. Luth. biblicæ* contra A. H. F. in duabus Diſſertationibus. Cumque A. 1698. Gymnaſio noſtro auctoritate & ſolennitate publica præficeretur, tum inaugurali ſua Oratione illam quæſtionem ventilavit: *An Lingua Latina ſit Antichriſtica.* Capiebantur omnes ingenii acumine, morum ſuavitate, docendique dexteritate hujus Viri adhuc juvenis: cujus memoriam quoties recordamur, non poſſumus, quin Parcarum ſævitiam accuſemus, quod unius anni intervallo idem nobis & donatus & ſubtractus fuerit. Deceſſit enim hic improviſo mortis fato Anno 1699. d. 8. Martii, annos natus 26. qui ætatis humanæ gradus ſummis ingeniis ominoſus nonnunquam & fatalis fuiſſe creditur, aſſerente *Taubmanno*, qui ſic ad J. Douſam;

Sex


Sex & viginti postquam confecimus annos,
Incipit ætatis scansilis ire gradus.
Novimus egregio munitos corde Poëtas,
Atropon hoc vitæ præcipitasse gradu.
Sed nihil hæc ad me, cui mens formidinis expers,
Tuta mihi vita est; tu tibi, Dousa, cave.

Idem hic climacter abstulit olim & *Jacobum Sannazarium*, *Lotbum Bucholzerum*, *Eliam Putschium*, & nostrum *Eliam Schedium*. Plura ejusmodi exempla vide sis in *Gregorii Richteri* Axiomat. Hist. Oecon. Reg. X.

XV. JOACHIMUS OTTO, Marchicus, Rector. Patre natus Presbytero venerabili *Hieronymo Ottone*, Pastore Zepernicensi prope Berolinum, qui admodum nuper quinquagesimum & ministerii sui & conjugii annum, qui solet esse jubilæus gamicus, cum gaudio animique & corporis integritate complevit, præsentibus & hoc filio & altero *Jacobo Friderico* in Pastoratu Zepernicensi eidem substituto. Noster autem, antequam Rectoratum hic amplecteretur, non solum in Gymnasio Stralesundensi Con-Rectoratum aliquantisper gesserat, sed & in Academiâ Rostochiensi dudum inclaruerat, ubi non hospes versatus est, sed inquilinus vixit. Et quanquam Scholæ ibi Oppidanæ Rector præesset, ita tamen eidem præfuit, ut nec deesset Scholæ Academicæ, fatentibus quamplurimis, olim Studiosis, nunc in Amplissimâ dignitate constitutis viris, qui ipso doctore privatim sunt usi. Rem quoque suam ita constabiliverat ibidem, ut delectâ sibi uxore *Danielis Leschii*,

Senatoris primarii filia unica *Margareta* & familiam propagaret & sedem perpetuo figeret. At Domino, qui omnia moderatur, providente factum est, ut anno 1699. ad Gymnasii Güstroviensis Rectoratum evocaretur, cui officio adhuc ea dexteritate præest, ut Boni omnes ipsum quam diutissime præesse & velint & optent. In lucem edidit hactenus, præter *Logicam* atque *Ethicam* Schomeriana methodo conscriptas, varia Programmata Gymnastica Oratoriis atque Disputatoriis Solennitatibus præmissa. Collegæ sunt ipsi hoc quidem tempore:

M. Jacobus Dürfeld. Conrector. voc. 1693.
Fridericus Thomas. Subrector. voc. 1693.
Thomas Ramsay. Cantor. voc. 1679.
Georg. Christianus Reinhold. Succentor. voc. 1703.
Henricus Krüger. vocat. 1680.
Hermannus Albertus Unger. voc. 1698. † 1702. quem excepit *H. J. Schmid.* Teterov.



Clas-

Classis Politica.

(I)

Aulica

Consiliariorum atque Ministrorum Aulicorum ordine Alphabetico, & fere secundum annos vitæ ac mortis enumeratorum, salva cujuscunque Dignitate aut Prærogativa.

B.

GEORGIUS BELOVIUS, Nobilis Hæreditarius in Nossentin, Kargow & Dewen: Duci *Ulrico* gl. m. Aulæ Mareschallus & Consiliarius intimus obtigit per annos 35. nec non Consiliarius Provincialis. *Cujus*, dum vixit, *consilio neque Princeps neque Patria potuit carere:*

Quem de justitia & certo de tramite recti
Nec levis ambitio, nec opum vesana cupido,
Nec favor avertit populi, nec gratia Regum.
Ex re si quid erat, promebat voce diserta,
Seu fore id ingratum seu gratum forte putaret,
Grata gravi verba pingens, ingrata suavi.
Quod justi est animi & constantis, nemini adulans,
Quodque itidem culti, haud affundens aspera veris.
Non erat inferiore loco illi divite egenus;
Sed semper meliorem, a quo jus staret, habebat:
Cui nec vilis erat plebs, nec vilis populi res,

Et

Et nec eô major reliquis, qui prædia avorum
Et galeas jactaret, & aurea scuta superbe. &c.

Quæ de ipso *Jo. Casselius* celeberrimus in Academ. Rostoch. & Helmest. Professor vere olim prædicavit. Decessit autem Güstroviæ IIX. Id. Quinctil. Ann. 1587. æt. 62. Orationem funebrem german. ei habuit *Andr. Celichius*, Superintendens Güstroviensis super Text. Psalm. XXXIV. v. 20. 21. edit. 1589.

MARTINUS BOLFRASIUS, J. U. D. qui primo loco a Consiliis Aulicis atque forensibus fuit Principi *Ulrico* nostro p. m. quique studia literarum in Academia Francofurtensi Adolescens excoluit, ac inprimis *Jodoco Willichio* Seniori, Profess. cum alia tum puritatem doctrinæ Apostolicæ debuit. Vir ingenio, eloquio & probitate multum eminens, laborumque maxime tolerans. Cui ex hac vita decedenti d. 19. Januar. A. C. 1585. ætatis suæ 57. *Andreas Celichius*, Superint. Güstrov. Poëta insignis hoc Epitaphium fecit;

Ingenio eloquioque potens, toleransque laborum,
Principis Herculei quo floruit Aula ministro,
Huc tandem exuvias, post cursus fata peracti,
Bolfrasius posuit jam vita & funere clarus,
Dum mœstos inter gemitus lacrymasque dolentum,
Singultante illum pietas ita voce coronat:
Relligiose Senex, cui mens stetit integra Christo,
Sacrorumque adytis quem nulla via invia ludens
Abripere ad tumidos potuit vana arte Sophistas,
Te nunc ita Fides cœlesti sede locavit,

No-

Nostra ruinosum sed habet Respublica vulnus,
Usque adeo exsequias celebres mala damna sequuntur.

JACOBUS BORDINGIUS, J. U. D. Consiliarius Ducalis atque Cancellarius Principis *Ulrici* per XXIII. annos eminentissimus, inque Academia Rostoch. Professor Juris consumatissimus: quem ob dexteritatem atque industriam Princeps, quocunque iret, à latere haud facile dimisit. Ad Comitia, quæ prima Cæsar *Rudolphus* Augustæ celebravit cum Duce suo profectus in notitiam Imperatoris ita pervenit, ut ex illo tempore maximo favore eundem complexus, non solum inter Comites Palatii, sed & aliquot annis post aureo torque ornatum etiam in album Nobilitatis Germanicæ adscribere voluerit; sed utrumque honorem pro modestia sua detrectavit *Bordingius*. Ætate ad summum vergente cum uxorem alteram Lubecæ duxisset, de transferendo eam in urbem domicilio cogitare cœpit: tandem an. 1600. dimissionem a Clementiss. Duce suo hac conditione impetravit, ut, quotiescunque in Aulam vocaretur, Consiliis Principis præsto esset, prætereaque solennibus Judiciis, quemadmodum antea, quotannis quatuor præsideret. Et retinuit *Bordingius*, fremente invidia Senatorum, illam dignitatem, quamdiu Princeps *Ulricus* in vivis fuit, ac mortuo Sigillum, cujus tot annos custos fuerat, in Exsequiis prætulit anno 1603. iisque peractis fractum *Carolo* successori tradidit, qui ipsum ob fidem ab annis XXVIII. Ducibus Megapolitanis præstitam non sine dono dimisit. Cætera

tera de conjugio duplici omnique ipsius vita recensuit *Joh. Kirchmannus*, Rector Lübec. in Orat. funebri. † 1616. in Consulatu Lübecensi.

JUSTUS BRüNINGIUS. J. U. D. Westphalus. Sereniss. Ducis *Gustavi Adolphi* gl. m. Consiliarius intimus & Cancellarius ab anno 1661. qui vero anno 1665. hinc in Aulam Vindobonensem evocatus, Consiliarius Imperialis Aulicus evasit.

OTTO WEDIG de BUCH. Hæreditarius in Tornau, Woddau, Trampe &c. qui primùm Comiti Swartzenburgico *Christiano Günthero* aulica officia præstitit, donec ann. 1661. beatiss. Ducis nostri *Gustavi Adolphi* accersitu Aulæ Güstroviensis Mareschallus Cameræque Ducalis Præses fieret: in quo munere adhuc vixit anno 1667. cum Conjugem *Annam Catharinam de Bergâ*, Sigismundi de Berga Consiliarii olim Swartzenburgici filiam, præmatura morte amitteret, è qua ipsi superstites manserunt *Dieterich Siegmund*, *Gustav Wilhelm*, filii; *Maria Sibylla*, *Sophia Dorothea*, filiæ.

AD. HENNINGUS de BüLOW, Hæreditarius in Glasow, Gramsow & Bristow. quo Sereniss. olim Dux noster *Gustavus Adolphus* usus est Cameræ Ducalis Præside ann. 1668. seqq. postea factus est Supremus Præfectus Boizenburgensis ad Albim, denique Consiliarius Provincialis Meclenburgicus. In matrimonio habuit *Annam Margaretam à Dessin* B. Lüderi à Dessin Hæreditarii in Pentzlin filiam, e qua genuit præ cæteris filium *Carolum Augustum*

stum à Bülow, Ecclesf. Rostoch. ad D. Petri Pastorem, jam beatum.

JOHANNES JEREMIAS BREUNECK, Secretarius primo intimus, 1660. seqq. tum Consiliarius Sereniss. Ducis *Gustavi Adolphi* † 1678. qui e Conjuge *Agneta Tilia* præter filias reliquit filium *Gustavum Carolum Breuneck*, h. t. Regis Daniæ in Comitatu Oldenburgico Præfectum.

HENRICUS BECKMANN. Suerinensis. Secretarius Cancellariæ Güstroviensis: qui admodum senex obiit anno 1699. è Conjuge *Sophiâ Annâ Janinâ*, Superintendentis olim nostri Danielis Jani filia, reliquit filios *Danielem Henricum* & *Georgium Fridericum*, SS. Theol. h. t. Candidatos.

C.

ERNESTUS COTHMANNUS, Lemgoviensis Westphalus. natus A. 1557. d. 6. Decembr. Parentibus *Dieterico Cothmanno*, Consule Lemgoviensi, & *Annâ Grothen*, patritia Lemgoviensi: quorum majores Patritia Consularique dignitate a trecentis & amplius annis in Westphalia conspicui fuerunt. Noster vero *Ernestus Cothmannus*, in Academiam Rostochiensem delatus J. U. D. & Professor primo ibidem extitit, tum ab anno 1587. *Udalrici* & post *Caroli* Ducum Mecleburgensium Consiliarius, atque Cancellarius demum Ducis nostri *Johannis Alberti II.* factus est & quasi alter Zopyrus. Confer. Orat. Panegyr. *M. Joh. Simonii* in recordationem Ernesti Cothmanni hab. Rostoch. 1624. † 1624. d. 13. April. æt. 67. E conjuge *Elisabetha Heinia*, JCti &

Cons.

Conf. Rostoch. filia superstites ipsi fuerunt: *Fridericus Cothmannus*, JCtus Rostoch. eximius † 1665. & *Anna*, quæ nupsit D. Laurentio Stephani, JCto & Cancellario Mecklenburgico. Nec desunt monumenta literaria ab eodem; edidit nimirum: *Responsa Juris s. Consilia* V. Tomis comprehensa. *Institutiones Imperiales* ad Compendium redactas. *Disputationes* Juris Civilis. *Commentarium* in Libr. I. Codic. Justin. *Meditationes pias* de remediis adversus calamitates, pressuras atque calumnias. *Consolationem* sui ipsius in funere filii secundo geniti *Dieterici* anno 1605. mortui.

JOHANNES COTHMANNUS, Lemgovia Westphalus. natus 1588. *Ernesti* frater atque successor. JCtus excellentissimus: in sacræ Cæsar. Majest. Aula & palatio Lateranensi Comes: Ducum Mecleburgicorum *Johannis Alberti II.* & *Gustavi Adolphi* per 41. annos Consiliarius intimus & per 31. annos Cancellarius longe meritissimus, qui in exilio Principum Mecleburg. suis legationibus ad Cæs. *Ferdinand. II. & III.* id præstitit, ut, qui terrestrem Mecleburgensis Provinciæ *Tutorem ac Servatorem* eundem dixere, verè dixerint. Nec melius quisquam tanti Viri merita exprimere potuit, quam fecit *Augustus Varenius*, Theologus Rostoch. consummatissimus, qui in carmine exequiis Cothmannianis anno 1661. consecrato inter alia hæc posuit:

Quid memorem Herculeas pro Lege & Principe Lunas?

Præcipue cum jam patulas effunderet Alpes

In

In *Venedos*, Austrique iras Aquilasque potentes,
Terrarum ejiceret Deos Dominósque serenos,
Ut ponens sua signa Henetis consideret arvis,
Et genus hic propriamque domum Aulamque pararet,*
Mansuras urbes, peregrinis tecta colonis,
Sumeret imperiumq; maris sævumque tridentem
Ille minax oculis, ille intractabilis arte,
Ille ferox, Scytha Parthoque ferocior hostis,
Qui populos cogens Aquilis parere, rebellis
Ipse Aquilis factus, dedit atro sanguine pœnas
Laomedon, *Domino* infidus magnusque tyrannus.
Cum gemitu miserando *Meckelburga* ulularet,
Tremeret Aula omnis, plangoribus omnia plena.
Interior domus inprimis (miserabile visu)
Jamque emigrarent *Domini*, *Matresq;* serenæ,
Ivit Principibus comes: ivit fidus Achates
Cothmannus, fixit paribus vestigia curis,
Ivit magnanimus spe publica damna levavit,
Pro *Dominis*, latus fati lætusque laborum
Atque mares animos, non exulis, ipse probavit.
Cæsaribus, fœdaque in tempestate Magistrum,
Qui velo adversas magnâ regit arte procellas.
Sed quid ego hæc?
Quidve actus ausim veterum componere rerum?
Cuncta feram? imponam glaciali Pelion Ossæ
Sufficiat verbum: *Tota hoc Germania novit:*
Aula Ducum novit: meminit quoq; Cæsaris Aula.
Varrones doctos taceant grandesque Catones

* Describit hîc Poëta tempestatem VValleinsteinianam.

Hectoreos animos & sanctos Nestoris annos
Alcidæque actus, Graja & Romana vetustas!
Hic Varro: hic sanctus Cato, & hic fortissimus Hector:
Zopyrus hic Theseus, Atlas & fidus Achates,
Nestor & Alcides: magis aut venerabile nomen
Si cupias, jacet hic *Joseph*, jacet hic *Daniel*,
Jethronis jacet hic ex sanctâ lege senator.
Illorum omne una nunc conditur instar in urna:
Conditur hic Heneti populi qui currus & arma &c.

Et in Tumulo:

Johannes jacet hic *Cothmannus*, Papinianus:
Rara dabunt talem secla futura Virum.

Mortuus autem est Vir ille Anno 1661. d. 12. Jul. æt. 73. bis in conjugio vixit: (1) cum *Magdalena Krügeria* patritiâ Güstrov. (2) cum *Agneta Guelia* patritiâ Rostoch. † 1645. Hinc superstites reliquit filios: *Ernestum*, J. U. Candid. † 1658. *Johannem* paulo post memorandum; & filias: *Agnetam*, D. Laurentio Schrödero JCto & Assessori Dycaster. Provincial. Meclenb. atque *Elisabetam*, D. Alberto Willebrando, JCto & Profess. Rostoch. nuptui datas.

JOHANNES COTHMANNUS, Joh. F. primo Sereniss. Ducis nostri *Gustavi Adolphi* gl. m. Cubicularius, tum Justitiæ Consiliarius Güstroviensis, postea ejusdem Sereniss. Principis Aulæ Pincerna (Ober-Schenck). † 1697. qui è Conjuge *Eleonora Magdalena Vossiâ* reliquit, præter sequiorem sobolem, *Gustavum* filium avitæ virtutis ac nobilitatis maxime æmulum, sed proh dolor! in ipso ætatis flore, dum stu-

studiorum gratia peregrinas perlustrabat terras, annò 1697. in Belgio præmatura morte ereptum.

FRANCISCUS JULIUS CHOPIUS, J. U. D. Patria Saxo-Lauenburgicus. natus anno 1611. Parentibus nobilissimis, *Ottone Chope*, Sereniss. Ducis Francisci Saxo-Lauenburgici olim Secretario Camerali; & *Elsabe Æpinia*, Friderici Æpini, Præsidis Consiliorum Ducalis Saxo-Lauenburgici in Razeburg filia. Et quamvis Pater nimis præmaturam obiisset mortem, Mater nihilo tamen minus filium suum filiamque unicam (postea D. Hectori Mithobio Superintendenti Razeburg. nuptui elocatam) summa cura atque industria educari curavit. Filius quidem *Franciscus Julius Chopius*, ubi adolevit, ad Juris-prudentiæ studium animum adjecit, ingeniumque omni arte politica sic excoluit, ut Principibus, quæ non ultima laus est, placere posset. Nam in illustri Aula Suerinensi cum Consiliarii dignitatem aliquando tenuisset, tandem à Sereniss. Duce nostro G. A. gl. m. Güstroviam vocatus, Consiliarius hìc Justitiæ & Cancellariæ Vice-Director eidem obtigit, in qua functione mortuus est anno (ni fallor) 1684. Uxorem sibi delegerat *Dorotheam Sophiam de Werdenhagen* inclyti illius JCti Johannis Angeli de Werdenhagen Profess. olim Helmestad. postea Syndic. Magdeburg. tandem S. C. Maj. Consiliarii ac Residentis Lübecæ filiam, eandemque Abrahami Keyseri, Consiliarii intimi ac Legat. Mecklenburg. relictam viduam. E qua filium *Fridericum Julium Chopium*, quondam Sereniss. Ducis nostri G. A. hic Archivarium, nunc

Sereniss. Ducis Mecleb. Strelicensis *Adolphi Friderici II.* Consiliarium Cameralem, filiasque *Julianam* ac *Dorotheam* suscepit.

HENRICUS CHRISTOPHORUS CRUSIUS. nat. A. 1637. d. 9. Maji Parentibus generosis *Henningo* von Krusen / Hæreditario in Varchow & Bredenfeldâ, ac *Anna Margareta Crassovia.* Qui cum percepisset, quibus ætas puerilis impertiri solet, artes, studiis Academicis ab anno ætat. 17. initiari sese ac imbui passus est partim in Universitate Gryphiswaldensi, partim Rostochiensi. Tum A. 1658. Sereniss. Ducis nostri *Gustavi Adolphi* beneficio ad Batavos Gallosque peregrinatus est. Inde redux post varias modò militares modò aulicas functiones, in Aulam Güstroviensem delatus primum Sereniss. Principis *Adolphi Friderici II.* juventuti præpositus, postea etiam Sereniss. Principi nostro Hæredi *Carolo* moderator aulæque Magister datus, porro Cameræ Ducalis præsidio ac tandem Consiliarii intimi dignitate auctus est, in qua dignitate consenuit † an. 1691. d. 10. Mart. ætat. 54. E conjuge *Christinâ* Zor horsten unicam reliquit filiam *Annam Margaretam*, Viro illustri & perquam generoso, Baroni *Schultzio*, Potentiss. Suecorum Regis Chiliarchæ ac Præfecto urbis Stralesundensis nuptam.

ANDREAS CURTIUS, J. U. D. Patria Lübecensis. Sereniss. *Gustavi Adolphi*, Ducis Mecklenburgici, per integros XXXV. annos primum Justitiæ, tum secretioris status Consiliarius, nec non Cancellarius, rerumque feudalium ac forensium Director:

ctor: qui non domi tantum Papinianeo Consilio Principi suo assidue præsto fuit, sed foris etiam in illustr. Legationibus, e. g. 1675. ad conventum circularem Saxoniæ inferioris Lüneburgi indictum, 1676. ad comitia Imperii Ratisbonensia, 1681. ad Augustiss. Cæsaris Leopoldi Aulam susceptis, spartam suam amplissime ornavit, prætereaque insignem in rebus politicis prudentiam ac multiplicem in sacris æque ac profanis literis eruditionem universis probavit. Soceros veneratus est, e priore conjugio, quod cum Sophia Meibomia contraxerat, *Johannem Henricum Meibomium* celeberr. Medicum & Polyhistorem Helmestadiensem & Archiatrum postea Lubecensem; e posteriore autem *Johannem Slüterum*, Consistorii Regii Wismariensis primo Præsidem, summique ibidem Tribunalis Assessorem primarium, deinceps Cancellarium & Consiliarium intimum Güstroviensem, & tandem Consulem Hamburgensem. Hujus de filia *Mariâ Annâ Slüteria*, tres filios *Johannem Andream*, Aureliæ anno 1702. dum Galliam perlustrat, promotum J. U. Doctorem, *Michaelem Henricum*, J. U. Candid. & *Gustavum Adolphum* iisdem studiis deditum, reliquit; filiarum vero major natu, Patre adhuc vivo, nupsit Dn. *Joachimo Friderico* von Dunckherrn / Hæreditario in Beseritz & Sereniss. Duc. *Gustavi Adolphi* gl. m. Consiliario aulico. Cancellarium autem nostrum d. 14. Maji ann. 1697. ætatis fere 68. mundo vale dicentem hoc carmine prosecutus est *D. Jo. Fechtius*, Theologus Rostoch. celebratissimus:

Curtius ingenti dum vixit nomine clarus,
Æterno pia quod patria honore colet;
Hæc lacrymis, hæc voce Virum sibi plorat ademtum,
Atque dies totos ob sua fata gemit.
Is vero vani linquit deliria mundi,
Regnaque nunc cœli nobiliora colit.
Nos licet obtentos non invideamus honores
Et post lugubres gaudia mille cruces;
Vix tamen amissum supero permittimus Orbi:
Quisque dolet summi funera mœsta Viri.
Quisque piis votis cœli ad fastigia clamat:
Magne DEUS similes nunc quoque mitte Viros!

JOHANNES FRIDERICUS CHEMNITIUS, *Martini* JCti olim Rostochiensis, postea in Pomerania & Holsatia distinctis vicibus Cancellarii, Filius; *Martini* vero illius magni Brunsuicensium Theologi Nepos, & *Bogislai Philippi* Historiographi Sueciæ germanus. Qui cum Cancellariæ Güstroviensis *Secretarius* & in Aula *Archivarius* aliqua diu fuisset, tum Serenissimi Ducis *Gustavi Adolphi* beneficio in Dicasterio provinciali Meclenburgico Proto-Notarii locum obtinuit ab anno 1667. † Parchimi 1687. Diligentissimus fuit Antiquitatum nostrarum Analectes, & contexuit vastum *Chronicon Mecleburgense*, quod Serenissi. Aulæ Suerinensi olim oblatum, nunc in illustri Archivo ibidem asservatur MSCtum. Inde seorsim ab ipso Auctore excerptam habemus *Epitomen Genealogico-Historicam*, quæ multorum passim manibus teritur, quamque *M. Cordesius* in Chronici sui Parchimensis calce jam maximo-

pere

pere commendavit, licet in hunc usque diem ἐν τοῖς ἀνεκδότοις referatur. Huic *Epitome Chemnitianæ* multa debentur in hoc opusculo nostro.

CHRISTIANUS CAMMACHER, Rostochiensis. Sereniss. Ducis *Gustavi Adolphi* gl. m. Quæstor Provincialis. † 1694. cujus superstites Filii partim studiis Literarum Jurisqueprudentiæ, partim Quæsturæ operam dant, matrique viduæ præsto vivunt.

D.

HIERONYMUS DONSTEIN, Patria Güstroviensis. Sereniss. olim Duci nostro *Ulrico*, Secretarius intimus & iteratis vicibus ad Reges Galliæ & Poloniæ, quin & Italiæ Principes Legatus dexterrimus, Senator item Güstroviensis, ideoque de aula & civitate hac præclarissime meritus. Cui de conjuge *Elisabetha Clevenovia* e patritia hic Clevenoviorum familia orta superstes fuit filius *Alexander* Donstein JCtus & Senator olim Güstroviensis.

E.

MATTHÆUS EMMIUS, Patria Suerinensis. Secretarius Cameræ Ducalis tempore Sereniss. Ducis nostri *Johannis Alberti II.*, qui & civitatis Güstroviensis Syndicus fuisse perhibetur à cognato D. Dan. Habichhorstio in Rostoch. literat.

F.

DITMARUS FRISIUS (FRESE) Eques Frisiæ Orientalis. generosis ac nobilissimis Parentibus, Patre *Ditmaro Frisio*, Hereditario in kleinem Mütow / villa tractus Jeverensis in comitatu Olden-

burgico; Matre vero Jaja ex Zibeliorum præclara familia d. 19. Maji anno 1584. natus. primo apud illustr. comitem Oldenburg. *Anthonium Güntherum* ab anno 1606. Hippocomus servit. anno 1610. in Sereniss. Ducis Meclenburg. Johannis Alberti Aulam Güstroviensem penetravit *Stabuliq; Præfectus* ab anno 1618. constitutus, adhæc anno 1624. *Capitaneus* etiam Ribbenicensis Præfecturæ pauloque post arcis Strelicensis factus est: Quo munere cum tyrannide Wallensteiniana aliquantisper turbaretur, post reditum tamen ab exilio Principum nostrorum postliminio restitutus non solum *Johanni Alberto II.* Duci, sed etiam principi ejusdem filio hæredique *Gustavo Adolpho* hujusque Tutori Sereniss. Duci *Adolpho Friderico I* in eadem Præfectura servit, donec A. 16 9. d. 3. Dec. animam efflaret, Güstroviæ sepultus. Cui gener obrigit Vir nobilis ac strenuus *Christophorus Trapmann*, Centurio hic Præsidiarius, qui filiam ejus unicam *Elisabetham* e conjuge Elisabeta *Grot-Johans* natam uxorem duxerat.

JOHANNES LEVINUS FERBERUS, J. U. D. Hamelensis. Patre *Antonio Ferbero* natus, Sereniss. quondam Ducis Brunsv & Lüneburg. *Henrici Julii*, postulati Administrat. Magdeburg. Capitaneo, ac Domino in Bellersheim; Matre vero *Anna Weidmannia*. Postquam ex ephebis excessit, mancipavit sese studio Juridico inque ejus exquisitissimam penetravit scientiam, dignus propterea habitus, qui Rostochii A. 1645. ad J. U. Doctoris gradum elevaretur, præmissa disputatione inaugurali de *Transactione.*

ne. Subsequenti anno 1646. contraxit matrimonium cum *Annâ Corvinia*, Johannis Corvini, Doctoris Theologi apud Dantiscanos celeberrimi filia unica. Tum vixit aliquantisper Lubecæ, item Lüneburgi, post apud Mecleburgenses in Dicasterio Provinciali aulico, ubi Procuratorem egit, donec anno 1650. à Sereniss. Mecleburgensium Duce *Gustavo Adolpho* Güstroviæ in Consiliariorum Justitiæ numerum adsciscęretur & præterea abs Consiliis feudalibus quoque juberetur esse. Anno vero 1661. Rostochii domicilium stabile sibi delegit ut Prædiorum suorum *Cassebaum*, *Verchentin &c.* tanto commodius rationem haberet, functus non minus, quod Princeps urgebat, boni Consiliarii munere, quoad viveret. † an. 1680. d. 14. Octobr. Güstroviæ sepultus una cum uxore prædicta, quam præmiserat anno 1674. Superstites eidem manserunt 2. filii Nobilitate insigniti: *Carolus Fridericus*, Hæreditarius in Cassebaum/ Jckendorff & Depzow, & *Gustavus*, Hæreditarius in Verchentin, Crase & Bredenfeld.

CHRISTOPHORUS FRIDERICI, natus Rostochii 1633. d. 6. Nov. Patre *M. Daniele Friderici*, celeberrimo ibidem Musico & Cantore primario, Matre *Annâ Stavenoviâ*. Primis literarum rudimentis in Gymnasio Güstroviensi perceptis, ad Gryphiswaldensem indeque ad Rostochiensem Academias sese contulit, studio politico juridicoque deditus. Tum Peregrinatione per superiorem Germaniam suscepta demum Güstroviam repetiit atque hic domicilio sibi delecto *Secretarii* Justitiæ ac Lega-

Collegiorum omnium Ducalium *summus Præses* atque secretioris Status *Consilii Director*, & *Primarius* Aulæ *Minister*, nec non Præfecturæ Güstroviensis *Capitaneus*. A. 1687. ad Potentiss. Electorem Brandeburgicum *Fridericum Wilhelmum* ablegatus est amplissimo ornatus comitatu, ut desponsatam *Carolo* Principi nostro Hæredi Sereniss. *Mariam Æmiliam* domum duceret. Itaque excelso semper & illustri loco habitus est Gansius, quoad vixit Sereniss. Dux noster G. A. abs cujus excessu 1695. Cæsaris Leopoldi auctoritate pristinam quoque dignitatem retinuit, donec A. 1697. conversis hic rebus omnibus privatam vitam eligeret; ac omne, quod restabat, tempus suum meditationibus sacris tribueret. † 1700. d. 16. Martii ætat. 76. Concionem funebrem ipsi habuit Joach. Schröderus, Pastor hic Aulicus atque Cathedralis. In conjugio vixit cum *Druda* von Brockdorffen per 14. ann. non relictâ sobole. Hæredem vero ex asse constituit *Drudam Sophiam* Fratris sui Philippi Ernesti Gansii, Hæreditarii in Lutthet/Rhode und Gitter filiam; Christiano von Schacken/ Sereniss. Br. & Lüneb. Ducis Præfecto stabuli aulico nuptam.

EVERHARDUS GROTE, Nobilis Lüneburg. Consiliarius intimus, Sereniss. Ducis *Gustavi Adolphi* ann. 1680. seqq. Principique juniori *Carolo* peregre in Galliam abeunti comes itineris junctus A. 1684. Inde redux utrique Duci consiliis suis præsto fuit, donec à morte Principis *Caroli* A. 1688. vitam hanc aulicam faceret missam rebusque suis melius

con-

consulturus ad prædia, quæ ipsi erant in terrâ Lüneburgensi, remigraret.

CHRISTIANUS Grundgreiffer / Parchimensis. Patre Avoque *Anthonii Grundgreiffer*is Senatorii Ordinis Viris ibidem ortus: qui cum rerum œconomicarum peritissimus haberetur, in Aulam Güstroviensem accersitus ab A. 1648. Præfecturæ Ducalis hîc curatorem (Fürstl. Amts-Verwalter) egit summa fide per annos XL. E conjuge *Dorothea Bossoviâ*, Henrici & Joachimi Bossoviorum, illius filiâ, hujus nepte, sibi prognatos vidit, filium Davidem *Grundgreifferum*, JCtum longe celeberrimum, primo Assessorem Judicii Provincialis aulici Mecleb. tum Consiliarium in Aula Suerinensi intimum ac Vice-Cancell. Directorem, filiamque *Dorotheam* M. Christophoro Reuschio, Informatori olim Principis nostri junioris *D. Caroli* ac tandem Consiliario atque Visitation. Eccles. Secretario nuptam.

H.

JOHANNES CHRISTOPHORUS HAUSWEDEL. J.U.D. qui nobilissimæ Huswedeliorum genti, in Westphaliæ partibus supra sesquiseculum florentissimæ, originem debet Avo *Johanne Hauswedelio*, belli furoribus Hispanorumque sævitia olim sede patria expulso inque Saxoniam primo inferiorem, mox in Franconiam Sueviamque, positis in agro Onolsbacensi sedibus delato; Patre *Conrado Hauswedelio* (cujus germanus fuit *Johannes Hauswedelius* Philosophiæ moralis in Acad. Rostoch. olim Prof.) in Altorffinâ Noricorum Academiâ Ju-

ris

ris Professore multorumque Imperii Principum atque Statuum in Ducatibus Franconiæ atque Sueviæ Consiliario; ac matre *Annâ Mariâ Keyseria*, Christophori Keyseri, JCti & Sereniss. Marchionis Brandenburg. Onolsbacensis Cameræ Consiliarii filia, procreatus, ann. 1618. in oppido Marchbreit hanc lucem conspexit. Qui cum septimum ætatis annum attigisset, Matre demortua, ob belli tricennalis atrocitatem a Parente superstite, sed paulo post etiam diem supremum obeunte, Rostochium missus est ad Patruum jam supra dictum *Johannem Hauwedelium*, Profess. Rostoch. qui postea non tam patrui quam vere patris officium ei præstitit. Educatus igitur in vera pietate studiisque humanioribus, tum Philosophiæ, Historiarum atque Jurisprudentiæ scientiis in Acad. Rostoch. initiari cœpit. Vigesimo primo æt. suæ anno in Belgium ad Lugdunenses & Amstelodamenses studiorumque gratia & paulo post ann. Chr. 1647. ad illustrem conventum Monasterii Osnabrugæque pacis restituendæ ergo à Principibus Europæ institutum, hinc rursus ad Belgas, indeque ad Italos, Helvetiosque peregrinatus, tandem per Germaniam superiorem, Bohemiam, Misniam & Saxoniam, Rostochium rediit. Tum 1650. prævia inaugurali Disputatione *de Jure Liberorum* J. U. Doctoris titulo insignitus, donec anno 1658. ex arbitrio Sereniss. Ducis *Gustavi Adolphi* ipsi *Consiliarii Justitiæ* functio in Cancellaria Güstroviensi (die Cantzeley-Raths Stelle) imponeretur, cum paulò ante oblatâ ab Ampliss. Senatu Rostoch. Juris Professionem declinasset.

An-

Anno 1662. ad indicta Ratisbonæ ab Augustiss. Imperat. *Leopoldo* Comitia *Legatus* ivit, perque integrum triennium ibi Principis sui negotiis præfuit. Inde revocatus 1665. Dicasterii Aulici & Justitiæ Güstroviensis *Directorium* (Hoff-und Cantzeley-Director) impetravit. Cumque anno 1667. Judicium Provinciale aulicum in Ducatu Mecleburgensi instauraretur Parchimi, in ipsum Vice-Præsidis dignitas collata est ab eod. Duce Sereniss. quam per XXXIV. annos sustinuit. Post una cum aliis adhibitus quoque est ad conscribendas Leges disciplinam totius Provinciæ publicam spectantes; ut ita nulla unquam res ardua majorisque momenti potuerit sine Hauswedelii opera peragi: qui adeo obstrictum sese putavit Domui Mecleuburgicæ, ut illustriores etiam functiones ab exteris Rebuspubl. oblatas (e. g. Syndicatum Lubecensem) modeste recusaret. † 1701. d. 25. Decembr. æt. 83. E *Catharina Sturtziâ*, D. Jacobi Sturtzii, Consiliarii Fiscal. Güstrov. filia, quam 1651. uxorem duxerat, inter alios suscepit non modo filium *Jacobum Fridericum*, ex quo & nepotes vidit, sed quoque filias duas Prænobiliss. Dnn. *Ferberis* in matrimonium collocatas. Vide Joh. Barnstorffii Jur. Prof. Rostoch. Programma Academ. in Hauswedelii memoriam 1702. d. VII. Febr. propositum, unde strictim hæc excerpsimus.

I.

JOACHIMUS Jungclaus/ J. U. D. Patria Rostochiensis. natus 1568. d. 6. Dec. Parentibus *Joachimo* Jungclaus & *Anna* Bruns/ civibus Ro-

Rostochiensibus. Pietatis bonarumque artium ac Linguarum rudimentis partim in schola patria partim Lubecensi perceptis ad studia Academica perrexit, ac primo Rostochii, tum Wittebergæ, postea Jenæ in JCtorum & Politicorum consuetudinem ac familiaritatem sese insinuavit. Hinc perlustrata omni Germania in Patriam rediit & ipse Studiosis Collegia Disputationum Juridicarum aperuit, quibus nonnulli haud mediocriter se profecisse deinceps grato prædicarent animo. Anno 1601. J. U. Doctor creatus est in Academia patria, & ab hoc tempore in judiciis publicis versari & *Advocati ordinarii* partes in Dicasterio provinciali aulico agere cœpit per XI. fere annos. Tum ann. 1612. à Sereniss. Duce Johanne Alberto II. Consiliario Justitiæ, Aulæ ac Regiminis (Cantzeley- Hoff- und Regierungs-Rath) constitutus, hic locorum in maxima celebritate vixit, in hoc tamen notandus, quod Reformatorum, tum temporis in Aula Güstroviensi versantium, rebus non modo studuerit, sed etiam rationibus eorundem atque Confessioni subscripserit. E conjuge (1) *Annâ* Grundes non reliquit sobolem; è (2) *Agneta Bünsovia*, Joh. Bünsovii, J. U. D. filia, *Johannes* & *Balthasar* filii, è (3) *Margareta Dobiniâ*, Stephani Dobinii, Senat. & patritii Rostoch. filia, *Albertus* & *Johannes Albertus* filii & aliquot filiæ, quarum *Elisabetha*, Joachimo Kistmachero, Consuli & Syndico Güstrov. & *Margaretha Elisabetha* 1630. Johanni Sanitz, Senatori Güstrov. nupserunt. Mortuus est 1624. d. 26. Nov. ann. æt. 56. Concionem funebrem defuncto habuit

An-

Andreas Winsius, Concionator Aulicus Reformatus, quæ in lucem prodiit publicam. Edidit, dum vivebat, Tractatum de Territorii Megapolitani divisione, qui manibus multorum adhuc versatur.

K.

FRIDERICUS DIETERICUS de Kappelln / Nobilis Marchicus. Sereniss. Ducis *Gustavi Adolphi* Consiliarius intimus Aulæque Magister, alias Capituli Havelbergensis Decanus, & Reverendi Capituli Lubecensis Canonicus, Hæreditarius in Manckmuß / Laßlich & Zapell / Circuli Prignicensis Director: qui, quoad in Aula Güstroviensi vixit, anno 1670. & seqq. studia Principis junioris *Caroli* laudabiliter moderatus est atque in omnibus rebus ita sese gessit, ut & Principibus perquam carus esset & ab universis magni æstimaretur. † 1680. E conjuge *Elisabeta Magdalena* von Halberstadt / superstites ipsi fuisse meminimus Filium *Dietloff Friderich* von Capellen / qui A. 1672. in Academia Lipsiensi *Leonis Belgici fatum seculare* Oratione solenni exposuit atque speciminis Academici loco Sereniss. Duci *Gustavo Adolpho* dedicavit; Filiamque *Sophiam Agnes* von Capellen generoso Viro Friderico de Lowzow Hæreditario in Rensow &c. nuptam.

CASPARUS KOCH. J. U. Lic. Lemgoviâ Westphalus, natus 1593. d. 24. Jul. Patrem venerabatur *Dietericum Koch*, Senatorem Lemgoviensem e pervetusta Kochiorum familia, quæ ultra 300. annos in Westphalia floruit; Matrem vero *Annam* zur Mühlen / e nobili pariter prosapia ortam.

Cum vero Patre suo orbaretur vix dum in lucem editus, postea tamen providente Divino Numine Vitricum nactus est *M. Andream Dethmarum*, Superintendentem Osnabrugensem, qui vere paternam ejus curam gessit. Et posteaquam in Osnabrugensi, Lemgoviensi ac Stadensi Gymnasiis solida pietatis, literarum & artium liberalium fundamenta jecisset, a. 1611. ad Academiam Coloniensem Agrippinam, ubi tum Jurisprudentiæ studiũ maxime vigebat, missus est unà cum *Theodoro* Reinking tum æquali ac commilitone, deinceps JCto & Cancellario Danico eminentiori. Biennio post ob ingravescentem pestiferam luem an. 1613. ad Academiam Rostochiensem sese contulit, in hac per quinquennium multa cum laude vixit. Inde 1619. Giessensem & Marpurgensem Academias adiit, in qua posteriore 1620. *pro Licentiâ* impetrandi summos Juris Utriusque Honores disputavit. Post accidit, ut generosi Viri *Balthasaris de Schlitz* Mareschalli Fuldensis 2. filiis Moderator præpositus eosdem ad præcipuas Germaniæ Academias urbesque duceret & feliciter reduceret. Tum avunculi sui *Ernesti Cothmanni*, Cancellarii olim nostri, accersitu Güstroviam delatus, hic causas forenses per XII. annos egregia cum dexteritate oravit. Anno autem 1636. a morte Sereniss. Ducis nostri Johannis Alberti, cum Sereniss. Dux Adolphus Fridericus Suerinensis Tutorio jure omnia hic bene ordinaret, contigit, ut cognitâ ejus dexteritate & undiquaque perspectâ fide *Consiliarius Justitiæ* constitueretur, quam dignitatem per XX. annos cum laude sustinuit, usque dum anno 1656. d. 25. Maji pie obdormisceret. E conjuge (1) *Ilsabe-*

Crol-

Crollia, Johannis Crollii, Med. Doct. & Pract. Güstrov. filia, filium *Dietericum*, J. U. D. 1656. promotum postea Consiliar. Elect. Brandenburg. & Syndic. Magdeburg. reliquit; ex altera conjuge *Sarâ Bacmeisteria*, D. Lucæ Bacmeisteri, Superintendentis Güstrov. filia superstites habuit, filios *Lucam*, J. U. D. Rostochii 1661. creatum, & e Secretario Cancell. Güstroviens. Advocatum ordinarium in Tribunali regio Wismariensi factum; *Casparum Fridericum* ac *Christianum*; filiasque *Annam Elisabetham*, D. Laurentio Walfeldio, Consiliario Justitiæ Güstrov. nuptam, & *Margaretam*. Concionem funebrem in ipsum habuit edi ditque *Stephanus Hane*, Pastor tum hîc Cathedralis & concionator aulicus.

HENRICUS & ANDREAS KOBOW, germani fratres: quorum ille Quæstor Provincialis ac Præfecturæ Consiliarius, hic autem Registrator Cancellariæ fuit Güstroviensis. Illi † 1670. gener obtigit *Christianus* Schneider / Oeconomiæ Ecclesiasticæ Ducal. Præfectus; hic vero † 1666. socer fuit *Christophori Friderici*, Secretarii Cameræ intimi ac Consiliarii Güstrov.

CHRISTOPHORUS KNöVENAGEL, BERNHARD-JOACHIMUS KNöVENAGEL, Güstrovienses, Fratres: Parentibus *Joachimo* Knövenagel/Christophori Knövenagel Senatoris quondam Perlebergensis in Marchiâ filio, & *Margaretha Riemans*, Civibus Güstroviensibus procreati, plurimum ætatis in Ministerio Aulico Güstroviensi contriverunt: ambo Ducis *Gustavi Adol-*

phi aug. mem. *Secretarii* primum aulici, tandem etiam *Consiliarii*: Utriusque fidelitatem, assiduitatem laborisque aulici tolerantiam & ipse Princeps clementissime agnovit & alii valde prædicarunt. Diem suum obiit ille major natu anno 1698. mense Aprili, ætatis plenus, relictis e conjuge *Elisabetha Tornovia* filio unico *Christophoro Knövenagel*, J U. D. h. t. in Dicasterio Provinciali Mecleburgensi Procuratore & Advocato ordinario, ac 2. filiabus. Alter vero, qui post obitum sui Principis a Sereniss. etiam Successore *Consiliarii Cameralis* dignitatem confirmatam impetravit, adhuc Emeritus apud nos vitam degit privatam.

JOHANNES KNEGENDORFF. Güstroviensis. J. U. D. & Causarum forensium Patronus dudum excellentissimus, jam vero *Sereniss. Duc. Mecleb. Consiliarius aulicus* gravissimus, illustrioribus sæpe Negotiis Principum adhibitus: qui Socerum veneratur *D. Laurentium Schröderum*, JCtum, dum vivebat, & in hac Civitate per complures annos celeberrimum, & postea Assessorem in Dicasterio Provinciali Meclenb. quod Parchimi celebratur, dexterrimum.

L.

JOACHIMUS de LüHE, Eques Mecleburgensis. Ducis olim nostri *Ulrici* Consiliarius intimus Aulæque Güstrov. Mareschallus. Cujus præclarissima merita compluribus verbis exposuit *Johannes Caselius* in Oratione Exsequiali 1588. ejusdem memoriæ consecrata, admodum prolixa. Ubi inter alia

alia prædicat: Luhiades recte facere semper studuit & de plurimis bene mereri: quanto usui fuerit in Senatu aulico, non facile exposuerim: Erat enim ejus in dicenda sententia auctoritas virtute parta, dicebat libere proposito fine vero, justitia videlicet ac salute publica, nihil hic dabat gratiæ, nihil amicitiæ, nihil propinquitati, nihil Ordini, nihil ipsi Principi, nihil deniq; ipse sibi. In hoc aulico cursu annorum XXXIII. ut sese *Lübius* gesserit, cum familiares tum universa prædicat Megapolis, testantur vicini, nec longinquiores nesciunt. Ostendit in rebus omnibus, sive privatæ essent, sive publicæ, quàm vellet conjunctionem omnium ordinum, quàm conservatam dignitatem ordinis equestris, nec minus privilegia civitatum: hæ enim si deleantur vel opprimantur, jacent mercimonia: negotiationibus deletis vel minutis, non multum latifundia juvant cæteros. Legationes obivit multas & plerasque graves admodum pertinentesque ad salutem Germaniæ, gratus ubique Cæsari, Regibus Principibusque. Monumenta ædificiorum reliquit insignia Wismariæ, Rostochii, Güstroviæ; hîc enim (Güstroviæ) elegantissime ædificavit non procul ab arce Ducis ad vicinum templum his verbis ostio superscriptis: *grata posteritati*, neque id frustra; nam grata posteritas ex ædibus hisce Lühianis fecit templum Justitiæ (die Fürstl. Canzeley): quod Lühii nomen ac vetus inscriptio in frontispicio hodienum refert: *Joachim v. d. Lühe, sibi & gratæ posteritati anno 1583.* Vixit in cælibatu. † 1588.

PASCHASIUS de LÜHE. Eques Meclen-

 bur-

burgicus: Hæreditarius in Telckow &c. natus 1592. d. 10. April: Serenisſ. quondam Ducis nostri Johannis Alberti *Consiliarius* primò *Justitiæ* in Cancellaria Güstroviensi 1620. deinde vero *Vice-Præses* in Dicasterio provinciali Meclenb. (quod olim Sternbergæ fuit) ibidemque non multo post *Præses* ab Anno 1623. extitit. Cum vero ob belli injuriam officio suo ac loco nonnihil turbaretur A. 1633. ab eodem Principe reduce *Cancellariæ Güstr. Director* aliquantisper constitutus illustriores etiam Legationes obiit, donec ann. 1651. instaurato Judicio Provinciali Sternbergensi *Præses* postliminio præficeretur prætereaque Capitaneus Cœnobii Dobbertinensis eligeretur a Senatu Equestri Meclenburgico. Obiit 1653. ætat. 62. non relicta prole.

DIETERICUS de LüHE, Eques Meclenburgicus. Hereditarius in Telckow, Wokrent & Mechelsdorff, Consiliarius Status intimus & supremus Collegiorum Ducalium Præses sub auspicio beat. Duc. *Gustavi Adolphi* nostri natus 1616. d. 14. Octobr. denatus 1673. d. 24. Aug. cujus merita, insignem pietatem, prudentiam, humanitatem & patientiam prædicavit Josua Arndius, Theologus Aulicus in Oratione funebri ad pomposas ipsius exsequias habita & postea edita super Text. Proverb. c. X. v. 7. Studia humanitatis privatæ institutioni *Stephani Hanii* accepta retulit; Academica JCtis & Profeſſ. Griphiswaldensibus, quos in quartum annum sedulo auscultavit, debuit. Literis bene tinctus in Aula Eutinensi Principi Episcopo Lübecensi *Johanni* a latere fuit; postea vo-

voluntarium ſubiit exilium, h. e. peregrinas provincias & urbes perluſtravit, Belgii ſcilicet, Britanniæ, Galliæ, Italiæ. Inde redux in Aulam Suerinenſem Ducis Adolphi Friderici delatus non modo junioribus Principibus Carolo, Guſtavo Adolpho, atque Friderico Moderator ac Magiſter præficiebatur, ſed etiam illuſtriſſimas Legationes obire jubebatur, donec a morte prædicti Ducis *Adolphi Friderici* anno 1658. a noſtro Duce *Guſtavo Adolpho* vocatus in numerum intimorum ſui Status Conſiliariorum adſciſceretur & perſpecta indies ipſius dexteritate anno 1661. Directorium & Præſidium in omnibus Collegiis ipſi imponeretur. Acceſſit etiam Principis Junioris Caroli noſtri moderamen, cujus Educationi ac inſtitutioni præeſſe jubebatur Lühius, quibus rebus omnibus ſummâ fide ac virtute perfunctus eſt. Mortuus tandem 1673. d. 24. Aug. è duplici conjugio, quod (1) cum *Metta Dorothea de Bibow* (2) cum *Eliſabetha Maria de Groten* contraxerat, 4. filios & 2. filias ſuſtulit.

JOHANNES FRIDERICUS } de
GEORGIUS HENRICUS }

LEHSTEN, Pater & filius. Equites Mecklenburg. Hereditarii in Wardow, &c. &c. in Aula Güſtrovienſi tempore Ducis *Guſtavi Adolphi* Conſiliis prudentioribus Expeditionibusque illuſtrioribus ſuâ quisque ætate multum inter cæteros eminuerunt. Pater enim, antequam Conſiliarius Provincialis in Senatu Equeſtri deligeretur, ob inſignem juris peritiam in Cancellariâ Ducali Juſtitiæ Arbiter atque Director extitit,

titit, ab anno 1660. seqq. obiit 1677. Filius autem primo Aulæ pincerna, tum Mareschallus, tandem Consiliarius Status intimus fuit, multasque illustriores Legationes obiit. † 1696.

M. SIMON LEOPOLDI, Visitationis Ecclesiast. Secretarius tempore beat. Ducis nostri *Ulrici* laboriosissimus idemque Senator Güstrov. prudentissimus: cujus opera in primis a Reformat. Luther. visitationibus usque compluribus longe maxima fuit, qui nisi suo tempore exacto studio confecisset rationes Ecclesiasticas, de rebus Ecclesiarum nostrarum earumque dotibus ac reditibus primitivis vel nihil vel parum nobis constaret. Ad summam pervenit senectutem † 15 -- filium reliquit superstitem *Sebastianum Leopoldum*, Not. publ. & insignem Geometram, qui conscripsit *Musicam Davidicam* s. Davids Harffenspiel/ Psalmosque omnes Davidis ita in rythmos germanicos redegit, ut cantionibus B. Lutheri Ecclesiastis accommodati pares cum illis melodias habeant: editus est hic Libellus melicus a nepote *Simone Leopoldo* Güstroviæ 1615. in octav. constatque 476. paginis.

JACOBUS LEMCKE, Rostoch. Secretarius Cancellariæ & Provisor templi Cathedralis † 1696. filius *Jacobi Lemckii*, Senatoris Rostoch.

N.

HAJO à NESSEN, } quorum ille, *Pater*,
JOACHIMUS à NESSEN } Nobilis Frisius, & JCtus longe celeberrimus: qui non solum in Acad. Rostoch. Doctorem Juris s. Professorem publicum egit.

egit, sed & in Aula Güstrov. beat. Ducis nostri *Ulrici* Consiliarius extitit, cui inprimis Visitatio Ecclesiastica committeretur. Postea vero juniorum Principum Adolphi Friderici & Johannis Alberti fratrum consilia gubernavit, & tandem Aulæ Suerinensi Cancellarius Papiniano consilio adstitit. † 1620. Cujus scripta recensuit Witten. in Diar. biogr. ad ann. 1620. d. 28. Mart. Alter *Filius*, natus Rostochii anno 1596. d. 24. April. JCtus æque celeberrimus, qui Sereniss. Duci olim nostro *Joh. Alberto II.* in exilio Wallensteiniano fidus Achates, & post illiusmodi fata eidem Consiliarius, ac filio Sereniss. Duci *Gustavo Adolpho* Justitiarius atque Cancellariæ Director obtigit. † 1668. d. 5. Jan. in ipso Jubilæo templi nostri Cathedr. ætat. 72.

O.

JOACHIMUS ab OLDENBURG. Eques Meclenburgicus, Nobilis hæreditarius in Gremlin. natus 1551. qui cum juvenis studio Juris atque Historiarum egregiam impendisset operam, peragratis Italiæ, Helvetiæ Germaniæque provinciis anno 1582. Comitiis Augustanis valde frequentibus hospes interfuit, Ducibus suis Mecleb. *Ulrico* & *Johanni* pariter ibidem præsentibus, cum voluptate præsto fuit, quibus ita sese probavit, ut anno 1585. Aulæ Güstrov. Pincernæ & Camerarius 1586. *supremi Aulæ Mareschalli* & a Ducibus successoribus *Carolo* atque *Johanne Alberto II. Consiliarii Aulici intimiq;* dignitate insigniretur. Aulæ tandem post 36. annorum servitium pertæsus a Statibus Provincialibus Cœnobio

Dobbertinensis Capitaneus præficiebatur. Sed Güstroviæ plurimum vitæ publicæ tempus transegit. † 1622. d. 21. Mart.

JOHANNES OBERBERGIUS, Mindensis, J. U. D. & in patriâ per multos bene annos *Syndicus* meritissimus. Ex quâ functione propter virtutem singularem, fidem atque dexteritatem a Sereniss. Principe *Adolpho Friderico I.* Duce Mecklenb. in Aulam Suerinensem evocatus est, ut secretioribus consiliis adesset, & Vice-Cancellarii munere in dirimendis litibus fungeretur. Inde ad Güstroviensem Pr. *Johannis Alberti*, Ducis olim nostri, Aulam *Director Cancellariæ* expetitus ac Justitiæ præfectus est. Incidit vero hîc in tempestatem Wallensteinianam 1628. cujus injuriam Ducibus nostris in exilium ejectis sustinuit; at non diu. Repetitâ enim patria inposterum ab omni republica ultro abstinuit, privatusque obiit anno 1633. Eundem Socerum veneratus est, dum vixit Jo. Henricus Meibomius, Phil. & Medic. D. primo Professor Helmestad. Academiæ, postea Archiater Lübecensis eximius, qui Elisabetham Oberbergiam uxorem duxit.

P.

OTTO de PREEN, Eques Meclenburgicus, Dominus hæreditarius in Wehnendorff & Vitkow. Vocatus in Aulam Güstroviensem Anno 1612. à Sereniss. p. m. Duce Johanne Alberto II. per XX. annos Consiliarii intimi munere pro virili sua ita defunctus est, ut nec in turbulentissimis Reip. tempestatibus, quas Wallensteinius inferebat, Principem suum exulem

lem desereret. E vita excessit 1631. relicto ex *Dorothea Bülovia* uxore præter cæteram sobolem nobilem filio *Adolpho Friderico Prenio*, Theologo ac Superintendente Meclenb. in Dynastia Stargard. olim meritiss.

HARTWIG de PASSOW, } Fratres:
GüNTHER de PASSOW, }

Equites Megapolitani: Hereditarii in Zehna, Gremmelin & Vitegest. quorum *ille* ab anno 1625. *Consiliarius* primò *Justitiæ*, tum *intimioris Collegii* in Aula Suerinensi apud Sereniss. Ducem Adolphum Fridericum I. fuit, qui in exilio Wallensteiniano velut alter Husai obtigit rebus suis prædiisque omnibus posthabitis: qui Princeps ipsum varias illustriores Legationes obire atque extremo tempore defuncto Fratre Duce Johanne Alberto Güstroviensi anno 1636. Regimini Güstroviensi tutelari præesse jussit. † 1644. ætat. 45. *Alter* (Güntherus) post fratris obitum Sereniss. Principi *Gustavo Adolpho*, Duci Megapol. Consiliarius intimus obtigit nat. 1605. denat. 1654. æt. 49. Güstroviæ sepultus in templo Cathedrali, ubi monumentum ejus adhuc cernitur.

ANDREAS de Pritzbaur. Eques Meclenburgicus: Hæreditarius in Grabeniz & Schwetz. nat. 1608. d. 9. Jul. Consiliarius Status intimus Aulæque Güstroviensis Magister tempore *Gustavi Adolphi* nostri olim Ducis, cujus Studiorum in juventute Moderator ac in peregrinatione Hodegus fuit & quasi alter Mardochæus. Vir doctrina rerumque usu eminentissimus. † 1667. d. 4. Junii. Cujus merita & Virtutem

tutem prædicavit in funere amplissimo 1667. *Stephanus Hanens* Theologus Güstroviensis. Alter filiorum Patri ὁμώνυμος nostra ætate a latere etiam eidem Principi fuit & Justitiæ Consiliarius, nunc in Aulâ Danica versans.

JOHANNES POMMERESCHIUS. Pomeranus Gryphiswaldensis, natus 1624. J.U.D. ejusdemque in Academiâ patriâ Professor ac Consistorii Pomeran. Assessor atque Director. Inde Güstroviam evocatus a Sereniss. Duce nostro *Gustavo Adolpho*, qui Consiliarium Justitiæ ipsum constituit, Principique Hæredi CAROLO informatorem in bonis literis præfecit. Hinc tandem Lübecam discessit ad Syndicatum istius Reipubl. ubi † 1689. d. 24. Jan. Scripta ejus Academica recenset Witten. in Diar. Biograph. Tom. II. ad Ann. 1689. E filiis *Jacobus Pomereschius* aliquando Secretarius intimus, postea Consiliarius Meclenburgicus in hâc Aulâ; conversis vero hîc rebus 1697. Vindobonam discessit Aulamque frequentavit Leopoldinam.

SIMON PAULI, Rostochiensis. *Simonis Pauli*, Doctoris olim Theologi ac Superintendentis Rostochiensis filius. Primo *Ulrici* Ducis nostri ab ann. 1594. tum ejusdem Successoris Ducis *Caroli* ab Anno 1603. Archivarius & Secretarius fidelissimus. Hoc autem Principe mortuo 1612. a Sereniss. Duce *Adolpho Friderico* I. glor. mem. Güstroviâ Suerinum accersitus Archivo Suerinensi præesse jubebatur. Vir in Historiis ac Antiquitatibus versatissimus. Vid. superius Period. II. §. 5. in Not. † 1624.

In

In matrimonio habuit *Margaretam Hagemeisterianam*, Georgii Hagemeisteri, quondam beat. Ducis nostri *Ulrici* Secretarii Güstroviensis filiam, unde superstitem vidit filiam *Catharinam Pauli*, Alberto Heinio juniori J. U. D. & Hist. Profess. Rostoch. nuptui elocatam.

MATTHIAS PETERSEN Rostochiensis. J. U. Lic. & ab ann. 1668. Secretarius Cancellariæ Güstrov. nec non Advocatus in foro Güstroviensi Consultissimus. Qui cum initio ad studium SS. Theol. animum applicuisset, egregiosque in eodem profectus fecisset in Academia Gryphiswaldensi atque Rostochiensi, tum mutatâ voluntate, studium Juris arripuit & ad summos in eodem honores contendit; unde factum, ut anno 1661. in Acad. Gryphiswaldens. habitâ Disputatione inaugurali *de obligatione naturali* Præside D. Iohanne Pomereschio, J. U. Licent. renunciaretur. Quo facto Praxi Juridicæ totum sese tradidit, Güstroviamque ideo concessit. Ubi post primum, quod Rostochii inierat, cum *Catharinâ Craueliâ*, † 1679. conjugium ad secundas nuptias transiit 1681. ductâ *Agneta Schuckmannia*, D. H. Schuckmanni Superint. nostri filia. E duplici hoc conjugio superstites habuit filium *Arnoldum Matthiam Petersen*, J. U. C. jam Secret. urbis Boizenburgensis filiasque: *Wendulam Margaretam*, quæ M. Martino Hedeno, V. D. Ministro hîc olim Cathedral. & ab hujus morte Dn. Naëmannii Redelffsen itidem V. D. Ministro Cathedral. nupsit † 1692. *Ilsaben* D. Gustavo.

vo Schuckmanno Secretar. *Annam Sophiam* Dn. Johanni Senstio, Theologo & Pastori Rostoch. in matrimonium traditas, prætereaque *Mariam Annam* & *Catharinam Margaretam*, quæ Matri Viduæ adhuc præsto sunt. Ipse autem diem obiit supremum annno 1691. mense April. ætat. 57.

R.

CASPARUS ROTERMUND. Nobilis Pomeranus: Sereniss. Principis *Johannis Alberti II.* Ducis Meclenb. in Aulâ Güstrov. Consiliarius & Mareschallus. vixit 1617.

JOHANN RODERIGO de Pita: Eques Portugalensis: Serenissimorum Ducum Megapolensium Stabulo Præfectus. Patre usus *Consal Roderigo* de Pita, Matre *Anna* de Conzaga; Avo Michael Roderigo de Pita Episcopatus Bragensis in Lusitania Vicarius, Avia Apolloniâ de Ribies, quorum prosapia in Portugallia atque Hispania olim fuit longe nobilissima. Adhuc tenerum frater Regis Hispaniarum Stabuli Præfectus secum habuit. Adultiorem Princeps Palatinus Neoburgicus accersivit in Aulam, post Landgravius Hassiæ Wilhelmus Stabuli sui Præfectum constituit. Interjecto autem tempore Sereniss. Dux Mecleburg. *Christianus* in Aulam Suerinensem allexit, unde tandem Güstroviam missus a Tutore Principe *Adolpho Friderico I.* qui ipsum Junioris Principis Gustavi Adolphi ministerio equestri destinavit, ut ita Güstrovia tandem post varios casus post tot discrimina rerum

tran-

tranquillum portum invenerit, animæque inprimis salutem: nam Pontificii erroris dudum pertæsus anno 1648. d. 22. Jan. Confessionem fidei Lutheranæ editâ publice Confessione coram Pastore Cathedral. H. Hartmanno Religionem Lutheranam amplexus est ipse, & non multo post uxor ejus *Etta Wineken*, e Provincia Groningensi oriundâ. Atque sic in vera fide mortuus A. 1651. d. 15. Febr. ætat. 43. relictis 3. filiis: *Wilhelmo*, *Diterico* & *Gustavo*, quorum postremus nostrâ ætate Stabuli Præfectus in Aula Güstrov. fuit †.

CASPARUS RHULE. Templino-Marchicus Brandeburg. natus 1617. ex Parentibus nobilibus *Christiano Rhülen* Capitaneo & Quæstore Brandenburg. & *Agnesa de Guentzkawen*, ab ineunte Adolescentia literarum studiis operam dedit inque Academiis ad Jurisprudentiam animum applicuit. Ann. 1640. a Sereniss. Mecleb. Duce *Adolpho Friderico I.* in Aulam Suerinensem accersitus ejusdemque Principi filio Friderico Præceptor datus, exactoque quadriennio cum altero juventutis Principe Carolo in Galliam demigrare ac peregrinationem istam moderari jussus est. Inde Nobili cuidam Holsato de Ahlefeld comes junctus ad Batavos, Gallos, Italos excurrit: quâ peregrinatione confecta anno 1647. Ducem nostrum *Gustavum Adolphum* Batavos, Italos Gallosque adeuntem prosecutus est, qui eundem primo Secretarium & Archivarium, tum Consiliarium aulicum & Cameralem, nec non ad multos Principes Legatum, postea Moderatorem pupil-

pupilli Principis Adolphi Friderici ac tandem Præfectum & Capitaneum Suanensem constituit, multisque præterea negotiis arduis adhibuit, donec 1674. d. 22. August. pie beateque obdormisceret. Reliquit ex Conjuge *Maria Catharina Fresen* 2 filios *Gustavum* & *Casparum* unamque filiam *Agnesam Joh. Alberto Schüzio* Cameræ Consiliario intimo nuptam. In funere ejus Concionem sacram habuit M. Nicolaus Heidemannus Pastor Cathedral. ad Text. 2. Tim. IV, 18. typis impressam.

JOHANNES REUTER, Mecleburgensis natus 1632. d.30.Dec. Patre *Nicolao Reutero*, Hypothecario in Zehlendorff & Matre Ilsabe Negenraths. Literis humanioribus partim Güstroviæ partim alibi tinctus anno 1652. ad Academiam Rostoch. missus per quinquennium ibi Oratoriæ, Politicæ & Jurisprudentiæ præclaram navavit operam, & inter alia selectioris ingenii documenta anno 1654. d. 12. Octobr. de *Principe prudente* in Consessu Academico facunde & erudite peroravit. Hinc anno 1657. in Pomeraniam ulteriorem vocatus duos Adolescentes Nobiles de Bortcke & Wolde, quibus moderator præfectus, per Germaniam, Hollandiam, Galliam, Angliam &c. duxit. Redux inde factus anno 1660. Serenissi Mecleb. Duci *Gustavo Adolpho* gl. mem. innotuit, qui Legationibus perillustribus ipsum adhibuit, Consiliariumque primo aulici, tum intimi dignitate ornavit, & gravissima quæque ac maxime ardua Reip. negotia domi forisque per eundem expedivit. Hinc adeo pertæsus mundi

red-

reddebatur Vir iste, ut enchiridio suo inscriberet: *Sat patriæ vixi mundique pericla subivi; quod superest, cupio vivere, Christe, tibi.* Cujus & voti compos factus † ann. 1681. d. 9. Febr. ætat. 48. Relictis e conjuge *Margareta Elisabetha Schüzia*, Joh. Alberti Schüzii Consil. Cameralis intimi filiâ, *Trudâ Helenâ*, & *Agnetâ* filiabus, quarum major natu paucis abhinc annis nupsit Friderico Mummio Consiliario Meckenburg. in rebus Cameralibus intimo. Superstes eidem adhuc vivit germanus *Nicolaus Reuter*, JCtus in Foro Güstroviensi versatissimus, qui nunc ex voluntate Sereniss. Principis nostri *Friderici Wilhelmi* tanquam Consiliarius & Procurator Fisci Ducalis Rostochii degit.

CHRISTOPHORUS REUSCHIUS, Lipsiensis, natus 1629. d. 22. Aug. Patre *Johanne Reuschio*, Pastore in Rickmansdorff prope Lipsiam & Matre *Gertrude* Schützen. Prima literarum rudimenta in Scholâ Thomana Lipsiensi a M. Thomasio & M. Franckensteinio didicit, ann. æt. 17. amisso Patre 85. annorum sene in Wittebergensem Academiam sese contulit anno 1650. & biennio post Lipsiam repetiit studia Academica persecuturus. Tum accidit, ut ad tempus in Scholâ Thomanâ Præceptoris classici munere fungeretur. Post Hallensis quidam Mercator prædives ipsum domesticæ filiorum suorum institutioni delegit, quam spartam in quadriennium ornavit, auctus interea Magistri Phil. gradu. Non ita multo post accidit, ut eodem tempore Pastoris Ecclesf. munus e tribus

locis e Patria, Merseburgo & e Thuringia ipsi offerretur; DEO autem aliter visum est, cum ex benevol. commendatione *D. Olearii* Theologi Hallensis consummatissimi in Aulam Meclebiurgensem, quæ tum Graboviæ erat, evocaretur ad educandum atque instituendum in bonis literis Principem juniorem Adolphum Fridericum anno 1663. inde Güstroviam, demortuâ Principe Viduâ Graboviensi, cum Principe suo Adolpho Friderico demigrare jussus in Aulâ Güstroviensi munus cœptum continuavit, ac postea Principum quoque Güstroviensium teneriorum animos pietate ac bonis artibus impertivit. Cujusmodi fidelissimam operam Dux noster Sereniss. *Gustavus Adolphus* remuneraturus, primo Bibliothecarium ipsum Aulicum, deinde Visitationis Eccles. Secretarium, tandem Consiliarium in rebus sacris constituit. † 1700. d. 17. Januar. anno ætat. 70. Superstites ipsi sunt e Conjuge *Dorothéâ Grundgreifferia*, Filius *Adolphus Fridericus*, J. U. Candid. & Filia *Maria*, Georgio Dethardingio juniori Med. Doct. & Profess. in Acad. Rost. nupta.

GEORGIUS CONRADUS RINCKE, Helmestadiensis. *Balthasaris Rinckii*, J. U. D. & Profess. Pandectarum Ordin. in Acad. Juliâ †1646. & *Margareta* Struhen/ Filius, Sereniss. Ducis Gustavi Adolphi in Aula Güstroviensi *Archivarius* ac *Secretarius*, ann. 1672. seqq. aliquando etiam Judicii Güstroviens. oppidani Prætor atque Director: Vir alioqui literatissimus eximiæque in Deum pietatis atque

atque in homines integritatis. In matrimonio habuit (1.) *Annam Catharinam Voigdiam* & hâc demortua (2.) *Magdalenam Elisabetham Mütteretiam*: unde nec prolis expers fuit. † anno 1694. ineunte.

HEIMRADUS RINCKWICHT, JCtus Güstroviensis & Secretarius in Cancellariâ Ducali, dum vixit, præclarissimus, † 1653. d. 20. Mart. relictis 3. Filiis: *Joachimo* JCto & Secretario Wismariensi, paucis abhinc annis mortuo; *Johanne Heimrado*, Pastore Ecclesiæ Beyendorpiensis, adhuc vivo; & *Bernhardo* Actuario atque Oeconomo Rhünensi, etiam superstite.

S.

JOACHIMUS SCHöNERMARCK, Patriâ Wittstochiensis Marchicus, Patre *Nicolao* Schönermarck / V. D. Ministro ibidem & Matre *Ursulâ Holmes* procreatus. Qui cum a teneris annis vitâ civili & aulicâ delectaretur, primum in Præfectura Ribnicensi, tum in Quæsturâ Ivenacensi Sereniss. Megapol. Duc. rationes confecit, donec Duci olim nostro *Ulrico* gl. m. dexteritatem suam probaret, qui ipsum in Aulam hanc Güstroviensem accitum, *Quæstoris ærarii Provincialis* muneri præfecit: quo in munere inde usque ab anno 1586. laudabiliter versatus singulari fide, industria, prudentiaque curavit omnes officii sui partes, sæpe etiam aliis majoris consilii negotiis sibi commissis, inde *Consiliarii* titulum a Principe clementiss. reportavit,

† 1600. d. 17. Januar. Reliquit filium *Joachimum Schönermarck* natu majorem, qui J. U. D. ejusque Professor in Academ. Rostoch. fuit celeberrimus, † 1631. Alter filius natu minor *Nicolaus Schönermarck* studiis pariter dicatus fuit. *Anna* autem filia Consultiss. Viro Hajoni à Nessen J. U. D. Profess. Rostoch. & Consiliario Mecl. nupsit.

LAURENTIUS STEPHANI, Gryphiswaldensis Pomeranus: *Joachimi Stephani*, J. U. D. Academ. Gryphiswald. Profess. Consistor. Eccles. Direct. & multorum Pomeraniæ Ducum Consiliarii eminentissimi Filius, nat. 1588. d. 13. Mart. Qui cum J. U. D. atque Profess. in Academiâ Rostoch. aliquandiu inclaruisset, factum est, ut anno 1614. a Sereniss. Mecleb. Duce *Johanne Alberto* in Aulam Güstroviensem vocaretur inque Consiliariorum Justitiæ numerum cooptaretur. Anno 1616. ab eodem Principe Judicii Provincialis Assessor factus. Anno 1623. in locum defuncti Cancellarii Hajonis à Nessen Ordinarius Juris Professor, Consistor. Eccles. Assessor surrogatus. Anno 1636. iterum Güstroviam accersitus Cancellariæ ibidem Director extitit per XV. annos: tandem anno 1651. Vice-Præses in Judicio Provinciali, quod tum Sternbergæ exercebatur, constitutus † 1657. d. 11. Nov. cum LXX. annos hujus vitæ complesset. Scripta, quæ reliquit, recenset Witten. in Diar. Biograph. ad Ann. & diem ipsi emortualem. E conjugio, quod cum *Anna Cothmannia*, Ernesti Cothmanni Consiliarii Meclenburgici filiâ, contraxerat, fuerunt ipsi Filius unicus

Jo-

Joachimus Stephani, J. U. Doctorandus elegantissimæ indolis & ad maxima quæque natus educatusque; sed in quo spes omnis præter spem omnem decollavit, quando nil tale metuens & immeritus, ab eo (Thoma von der Lippen/affine suo) a quo omnium minime fieri oportebat, hostili manu temerarioque ac nefario conamine, in publico foro Rostochiensi, & eo quidem ipso tempore, quo cum *Liboria Stöppelia* primaria foemina nuptias meditabatur, occisus est; & quatuor filiæ, quarum (1.) *Margareta Elisabetha*, Henrico Schuckmanno, J. U. D. & post hujus obitum Danieli Sandovio, J. U. D. Comit. Palat. Cæs. & Hæreditario in Boldenstorff nupsit; (2.) *Elisabetha* Laurentio Marquardo J. U. D. & Reverendissimi Administrat. Bremensis Consiliario, sed ab hujus morte Henrico Rahmio, J. U. D. & Profess. Rostochiensi in matrimonium data; (3.) *Barbara* Joachimo Clingio, Equitum Magistro & in grossen Biehlen Hæreditario, connubio juncta; (4.) *Catharina* Joachimo Kistmachero, J. U. D. Consuli ac Syndico Civitatis Güstrov, elocata est.

HENRICUS SCHUCKMANNUS,

Osnabrugensis Westphalus. Olim Sereniss. Ducis nostri Johannis Alberti II. p. m. Consiliarius aulicus & in Dicasterio Provinciali Mecklenburg. Assessor circ. ann. 1625. seqq. postea Professor Juris Rostoch. & Consistorii Ducalis Assessor. † 1656. æt. 76. Vide Witten. Diar. Biograph. ad Ann. 1656. d. 17. Septembr. Reliquit ex Conjuge *Anna Stecbovia*

 fili-

filios *Hermannum* & *Conradum*: illum Theologum Güstroviensem ac Superintendentem in Classe Theol. memoratum; hunc J. U. D. & Dicasterii Provincialis Meclenb. Assessorem, jam beatum. Unde nostra adhuc ætate supersunt Nepotes & Pronepotes avitam nobilitatem virtutemque vel æquiparantes vel superantes. *Hermanni* enim Filius & *Henrici* illius Nepos *Henricus Schuckmannus*, JCtus nostro ævo longe excellentissimus, non ita dudum vivente adhuc Sereniss. Duce *Gustavo Adolpho* p. m. Güstroviæ Consiliarius Aulicus & Fiscalis fuit, post autem a Sereniss. Ejusdem Successore ac Duce nostro *Friderico Wilhelmo*, Consiliarius Regiminis & Justitiæ, hodieque Vice-Director Cancellariæ Ducalis constitutus est, Gener Prænobilissimi Domini *Johannes Alberti Schützii*, Consiliarii Cameralis intimi, paulo inferius memorandi. E filio autem *Conrado* Nepos *Joachimus Schuckmannus*, J. U. D. olim Graboviæ Sereniss. Ducis nostri *Friderici Wilhelmi* æque ac Fratris Principis *Caroli Leopoldi*, in juventute Informator fuit, jam vero ad tempus *Secretarius* Visitat. Eccles. in Districtibus Güstroviens. ac Rostoch. existit.

JACOBUS STURTZIUS, J. U. D. Rostochiensis: nat. 1602. d. 25. Jul. e nobilissimo Sturtziorum, qui in Livonia, Curonia ac Lithuania Equestri dignitate olim floruerunt, genere: Patre nimirum *Christophoro Sturtzio*, JCto & Professore Histor. in Academia Rostoch. *Friderici II.* Daniæ, & *Sigismundi III.*

di III. Poloniæ Regum Consiliario, Avo *Christophoro Sturtzio*, Equite Livono & Hæreditario in *Serben*, Reverendissimi Archiepiscopi Rigensis *Wilhelmi* Marchionis Brandenburgici nec non ejusdem Coadjutoris Principis *Christophori*, Ducis Mecleb. Consiliario intimo ac Cancellario; Matre *Catharina Clingiâ* patritia Rostoch. Jacobi Clingii nobilissimi Viri è Brisgavia genus ducentis filia, ortus. Patre autem suo, antequam nasceretur hic filius, orbatus, Vitrici deinde sui Johannis Möringii, J. U. D. & Syndici Rostoch. neque minus germani *Azariæ Sturtzii*, Profess. Histor. in Academ. Rostoch. & Ducum Meclenb. in Polonia Ex-legatus cura atque consiliis vere paternis educatus atque Studio Jurisprudentiæ consecratus fuit. Cumque in patria, Francofurtensi aliisque Germaniæ Academiis egregiè profecisset, tandem in Acad. Gryphica Supremos in Jure Honores capessivit, insigni brabeo ornatus: quo Güstroviam concessit, Ducisque olim nostri *Johannis Alberti III.* gratiam promeritus, ab Eodem 1633. Judicii Provincialis aulici (quod tum Sterbergæ fuit instauratum) *Procurator* constituebatur; sed cum ob injuriam atrocioris belli totiusque hujus provinciæ πανολεθρίαν sæpius ipsi migrandum fuisset, tandem confirmata pace post obitum Ducis J. A. a Sereniss. Mecl. Duce *Adolpho Friderico*, Ducatus Güstrov. Administratore *Regiminis Güstrov. Consiliarius & Advocatus Fisci* deligebatur, quæ munera etiam Duce *Gustavo Adolpho* rerum potiente sustinuit: accessit quod & multorum causas in foro Güstroviensi æque ac Judicio provin-

ciali cultu ageret, Præsidiis, per totam Provinciam Meclenb. Consultissimi laudem, quoad vixit, reportaret. † 1672. d. 26. Decembr. sepultus anno 1673. d. 14. Jan. in templo hîc Parochi. supremis verbis in funere ejus faciente *M. Nicolao Heidemannio*, Pastore Cathedral. super Text. 1. Petr. II. 24. Reliquit e Conjuge Gerdesiâ patritiâ Güstrov. filios *Christophorum*, J. U. D. inque Hamb. republ. Præsidium eximium, & *Bernhardum Joachim*, Hæreditarium nobilem in Sürckow & Buckow; filiasque *Catharinam Wienbrandinam*, illustri Viro Johanni Hauswedelio, JCto celeberrimo & Vice-Præsidi in Judicio Provinc. Meclenb. nuptam, cæteris ante patrem demortuis.

JACOBUS SCHERTLINGIUS, Hamburgensis. natus 1613. d. 13. Octobr. Parentibus *Petro Schertlingio*, Cive Oenopolâ Hamburgensi & *Elisabeta Beermanniâ*: qui cùm politiori Eruditione multum præstaret, à Serenissi. Mecleb. Duce Adolpho Friderico I. glor. mem. adamatus Principique juniori *Carolo* Informator datus est. Postea Reverendiss. Episcopus Lubecensis & Princeps *Johannes* ipsum sibi Secretarium Cameralem 1645. eoque in excolenda Latina & Hispanica Linguis plurimum usus. Anno 1648. ex dispositione Sereniss. Ducis Meclenburgici Suerinens. *Adolphi Friderici* juniori Principi nostro Gustavo Adolpho Informator præponebatur simulque comes suscepti paulo post in Galliam atque Italiam itineris subjungebatur, *Secretarii intimi* titulo auctus, donec tandem perspecta satis

tis superque ejus dexteritate atque virtute in *Consiliarum Aulicorum* numerum adscisceretur. Vir perpoliti ingenii & solidæ eruditionis, linguarumque Ebraicæ, Græcæ, Latinæ, Gallicæ, Italicæ, Hispanicæ per-quam gnarus, atque sincerus DEI in vera fide cultor. † 1672. d. 23. Aug. æt. 59. E conjuge *Anna Maria Becmannia*, Jacobi Becmanni, Secretarii olim intimi Suerin. filia reliquit filios *Gustavum Adolphum*, *Adolphum Fridericum*, JCtos, *Sveder-Dietericum*, Verbi divini hodie Ministrum in neapoli Magdeburgensi, atque *Petrum*; filias *Magdalenam Sibyllam*, *Elisabetam*, *Annam Mariam* & *Agnesam*.

JOHANNES SLüTERUS, Lüneburgensis. *Severini Slüteri*, primo Lüneburgensium postea Hamburg. Theologi filius, J. U. D. initio Svedorum Tribunalis apud Wismarienses Assessor primarius, Consistorii Ecclesiastici Præses; tum ab anno 1668. Sereniss. Ducis Meclebueg. Gustavi Adolphi Consiliarius intimus ac Cancellarius Güstroviæ. Hinc 1679. ab Hamburgensibus ad Syndicatum & paulo post ad Consulatum evocatus † 1686. d. 21. Octobr. æt. 70. Aliquando publici juris fecit: Animadversiones in Hippolytum à Lapide, Commentationem de Subjecto potestatis in Imperio, sive de Repobl. Romano-germanica: Dissertationem de verbi divini Ministrorum Aug. Conf. ordine, vocatione, potestate, prærogativis, salario & abdicatione: Vindicias quæstionis; utrum popularium præ cæteris habenda sit ratio in Electione Ministrorum V. D. vid. Witten. Diar. Biograph. ad Ann. 1686. d. 21. Octobr. Gene-

rum reliquit Güstroviæ *Andream Curtium*, Lübecensem, in illustri munere Successorem, de quo superius in lit. C. Filiorum natu maximus *Severinus Waltherus*, SS. Theol. D. & Superintendens Lauenburgicus fuit, reliqui duo in Rep. Hamburg. hodienum florent.

HENRICUS SCHÆFFER, Brunsuicensis. Sereniss. olim Ducis nostri *Gustavi Adolphi* primò Secretarius, tum Consiliarius Aulicus, & tandem Civitatis Güstroviensis Consul, utrinque bene & præclare meritus. † 1693. E filiis, quos superstites habuit, natu maximus *Vitus Andreas Schäfferus*, JCtus eximius, aliquando Consiliarius Aulicus & Justitiæ hîc locorum extitit, defuncto autem Principe Gustavo Adolpho, Assessoris nunc in Judicio Provinciali Aulico, quod Parchimi est, dignitate fulget. E cæteris *Henricus Christianus Schefferus*, J. U. Lic. in Neo-Brandenburgensi ac Strelicensi foro versatur. Nec prætereundus, quem filii loco habuit, Gener *David Petrus Gailingius*, JCtus celeberrimus, in Cancellaria hic ante Justitiæ Consiliarius, quam in Aulam Strelicensem vocaretur à Sereniss. Duce Adolpho Friderico.

JOHANNES ALBERTUS SCHÜZE, Güstroviensis e nobilissima Schüziorum tam in hac quam Rostochiensi urbe florentissimorum prosapia ortus, annum 1632. habet natalem: Vitam secundum DEUM acceptam refert Parentibus *Davidi Schüzio*, Sereniss. olim Ducis nostri Johannis Alberti II. Quæstori Provinciali Præfectoque Suanensi, † 1651. & Su-

Sophiæ Arminiæ Patritiæ Rostochiensi, (quæ avum paternum venerata est *Cornelium Arminium* religionis causa a Duce Albano ex Geldria patria pulsum, postea Ulrici, Christophori & Caroli, Duc. Mecleb. in juventute Praeceptorem aulicum ac primum Evangelicum Pastorem ac Præpositum in Eldena.) in Gymnasio patrio Præceptores olim suos M. Georgium Schedium, Rectorem, Jo. Fr. Clausingium, Conrectorem, aliosque in maximo pretio habuit sæpiusque laudare consuevit. Studia Academica in primis Jurisprudentiæ in Rostochiensi atque Tubingensi Universitatibus sibi comparavit, perlustratisque Galliæ ac Belgii provinciis e Tubingensi Academia, cum inauguralem Disputationem ibi *de Residuo* solenni more habuisset, ann. 1656. summos in J. U. capessivit Honores. Tum Patriæ restitutus studium Juris theoreticum in practicum permutavit, inque foro publico versari & causas agere cœpit, donec a Sereniss. Duce nostro Gustavo Adolpho ad aulicas functiones postulatus, *Consiliarius Cameralis* isque tandem *intimus* fieret, fidemque suam ac dexteritatem ita cunctis probaret, ut post obitum Ducis sui gratiosissimi a Serenissimo etiam Successore Dn. *Friderico Wilhelmo*, hodie feliciter regente, in eadem dignitate confirmaretur. Ita superstes hactenus vixit venerabilis hic senex multasque vidit in hac Aula & Urbe patria vicissitudines: quarum nec ipse omnino expers fuit domi suæ: namque morte amisit inque coelum præmisit non solum duas è binis nuptiis Uxores, priorem *Gerdesiam*, alteram *Rhüeliam*, sed & multam ex

utra-

utriusque procreatæ sobolis partem: in hoc tamen felix prædicandus, quod ex auspicatis trium filiarum nuptiis Generos vidit genere suo dignissimos & pari cum ipso amplitudine excellentissimos Viros: *Johannem Reuterum*, Consiliarium olim intimum, jam beatum, *Henricum Schuckmannum*, Consiliarium aulicum & jam Vice-Directorem Justitiæ Ducal. *Fridericum Mummium*, Consiliarium Cameræ Ducalis intimum. E tribus autem, qui supersunt, filiis duo majores natu Martis gloria incensi *Capitaneorum* locum in militia meruerunt, minimus vero natu Patrique cognominis hodie in illustri Aula *Oelsnensi* Würtembergica apud Silesios *Consiliarii Cameralis* munere fungitur.

JOHANNES SCHULZIUS, Consiliarius feudalis Cameralis & Justitiæ beat. Ducis Gustavi Adolphi tempore natus Güstroviæ 1630. d. 18. Octob. Patre *Johanne Schulzio*, J. U. D. & Consiliario olim Regiminis Güstroviensi, Matre *Ilsabe Meclenburgiâ*, studia Jurisprudentiæ ipsi anno 1655. in Academia Rostoch. *Doctoris* titulum meruerunt, conscripta ibidem habitaque Disputatione inaugurali *de Tutelis*. In Patria vero, antequam in Aulam vocaretur, civitatis nostræ Syndicus aliquandiu fuit. † 1690. d. 21. Oct. æt. 60. Præ reliquis superstes ei filius etiamnum vivit *Johannes Schulzius*, in Aula Strelicensi, adhuc Serenissi. Ducis Adolphi Friderici Consiliarius intimus, quem e primis nuptiis Pater cum *Catharinâ Dörckesia* contractis suscepit, e secundis vero, cum Christina Arndina initis, reliquit *Magdalenam* filiam nuper

Joh.

Joh. Christiano Schapero, Inspectori & Pastori Lindaviensi Marchico nuptam.

CHRISTIAN } SCHILDKNECHT,
JO. REINHOLD }

Fratres: uterque Sereniss. Ducis nostri Gustavi Adolphi Tribuni militares (Majeurs) Præfectique cohortis prætoriæ: quorum ille natus 1626. hic autem 1630. Patre nobilissimo maximeque strenuo Viro *Wendelino Schildknecht*, Geometra & Tribuno Armamentarii Architectoque militari per Pomeraniam olim celeberrimo (Pommerscher Ingenieur und Zeugmeister / auch Ober-Land- und Feld-Messer) qui A. 1652. Stetini edidit aliquem in Folio librum: Beschreibung vom Fortifications-Wesen / lectu nec inutilem & perjucundum. Hujus 2. Filii domi militiæque clari alter alterum in Aula Güstroviensi exceperunt: major enim natu cum A. 1679. diem hic obiisset supremum, tum minor natu Hamburgo evocatus in fratris defuncti locum surrogabatur, † 1696. utriusque autem opera in Architectura tam militari quam reliqua multum usus est Sereniss. Princeps *Gustavus Adolphus*. Excelluerunt enim in Mathesi & Geometria magnopere: quemadmodum & Johannis Reinholdi Schildknechtii Filii, quorum maximus natu Capitanei munere in Exercitu Suecico hodienum fungitur.

JOHANNES FRIDERICUS STIBERUS, Spirensis, natus anno 1646. J. U. D. Sereniss. quondam Ducis nostri *Gustavi Adolphi* Consiliarius Justitiæ: antea in imperiali Spirensi Tribunali JCtus exi-

eximius, sed A. 1688. Gallorum rabie bellique injuria inde pulsus inque Saxoniam inferiorem delatus Sereniss. Duci Saxo-Lauenburgico Dn. *Julio Francisco* in Tractu Raceburgensi à Consiliis Aulico-Forensibus præsto fuit, quo Principe 1689. demoriente nec hæredem masculum relinquente, rebus ibi omnibus conversis, iterum novercantem fortunæ vicem subiit, & Hamburgi privatus per biennium vixit. Hinc Güstroviam accersitus ab Ann. 1693. in Cancellaria Ducali Justitiæ consuluit, novasque hic vidit vicissitudines Duce nostro G. A. 1695. demortuo: ut sic fortunæ ludibrio ubique expositus fuerit, donec Anno 1704. beata morte omnis calamitatis expers redderetur, relictis filiis Literarum tam sacrarum quam politicarum h. t. studiosissimis.

MATTHIAS STEINKOPFF, Rostochiensis, Sereniss. Ducis nostri *Gustavi Adolphi* Quæstor Provincialis A. 1671. seqq. qui e conjuge priore *Ilsabe Plüten*, Henrici Plüten, Civis Güstr. primar. filia reliquit filium *Henricum Steinkopffium*, non ita dudum Præfectum Dobberanensem, filiasque nonnullas amplissimis conjugiis elocatas; e posteriore autem conjugio, quod cum *Catharina Kistmacheria*, B. Kistmacheri, Cos. Güstrov. filia contraxerat, filia unica *Anna Catharina Steinkopffia* nupsit Johanni Alberto Schüzio juniori, JCto & Consiliario Camerali Ducis Würtembergici Oelsnensis in Silesia.

T.

JOHANNES OTTO TABOR. Budissina Lusatus, J. U. D. ejusdemque primùm Argento-

raten-

ratenſis Profeſſor P. tum Güſtroviam accitus, à *Guſtavo Adolpho*, Duce Meclenb. eidem *Conſiliarius* & *Cancellariæ Director* obtigit ann. 1656. ſeqq. poſtea vero hinc revocatus, in Academia Gieſſenſi *Profeſſor Juris primarius* obiit ann. 1674. d. 21. Decembr. qui variis ingenii monumentis magni nominis famam ſibi comparaſſe legitur in Witten. Diar. Biograph. ad ann. 1674. d. 21. Decembr.

NICOLAUS THIELE, Güſtrovienſis. natus 1649. d. 29. Octobr. Patre *Andrea Thilen*, chirurgo hic Aulico, Matre *Helena Müzingia*: qui jactis in Gymnaſio patrio & deinceps in Stetinenſi regio ſub Lic. *Ammone* utrobique Rectore Literarum fundamentis, in Roſtoch. atque Helmeſtad. Academiis ſtudium Juris utriusque ſolerti ingenio pertractavit, ut in Patriam redux rebus forenſibus operam dare inciperet, quamvis aulicis negotiis magis ſtuderet. Unde factum, ut A. 1679. Principi juniori noſtro *Carolo* p. m. informator deſignaretur a Sereniſſ. Patre Duce *Guſtavo Adolpho* gl. m. quo munere magna cum dexteritate ita perfunctus eſt, ut eidem Principi *Carolo* Ann. 1682. & ſeqq. per Belgium Galliasque peregrinanti Comes adjungeretur, *Secretarii* & paulo poſt, in Patriam redux *Conſiliarii Aulici* atque *Cameralis* dignitate ornaretur multasque legationes in Sueciam & alias Aulas illuſtr. obire juberetur. Quos honores ita geſſit, ut longiori vita digniſſimus reputaretur, † 1693. d. 1. Januar. Superſtes e conjuge *Anna Magdalena Witſchia* ipſi manſit unica filia beat. matri ὁμώνυμος. Superſunt etiam ipſi 2. germani fra-

fratres: quorum alter *Franciscus*, jam beatiss. Ducis G. A. ætate Præfectus Boitzenburgensis fuit, nunc vero Sereniss. Successoris Ducis *Friderici Wilhelmi* Consiliarius Præfecturæ Güstrov. existit; alter *Gustavus* Pharmacopœus hic Aulicus & Oeconomiæ Ducalis hodie Præfectus.

V.

PAUL OTTO de VIEREGK, Eques Meclenb. hæreditarius in Sierstorff &c. Aulæ Güstroviensis Mareschallus tempore Sereniss. Duc. G. A. † 1671. Patre *Valentino de Vieregk*, Hæreditario in Weitendorff &c. Matre *Anna Catharina de Vieregken*, e domo Beniz natus: quorum majores ultra quingentos annos in his terris equestri dignitate virtuteque splenduerunt, in Aulis etiam Principum Megapolensium nonnunquam versati. Ab ineunte adolescentia opt. art. studiis dicatus ann. 1654. in Acad. Heidelbergensi & Franeckerana Jurisprudentiæ egregiam operam navavit, Belgioque ac Gallia perlustratis, in Patriam reversus A. 1659. in Aulam Güstroviensem Sereniss. Ducis Gustavi Adolphi pervenit, Cubicularius Principis factus per quinquennium, quo exacto Principi Juniori *Adolpho Friderico*, Moderator Aulæque Magister præfectus, & ab anno 1668. Mareschalli Aulici munere functus est. † 1671. æt. 38.

ADAM OTTO de VIEREGK, Eques Meclenburgicus Hæreditarius Dominus in Weitendorff, &c. ejus, quem modo laudavimus, Patruelis, qui studiis Literarum & Jurisprudentiæ laudabiliter excultis pariter ab adolescentia Aulam Güstrovien-

sem Sereniss. Ducis G. A. frequentavit variisque Equestribus officiis functus est, donec Cameræ Ducalis Præses atque Consiliarius 1673. seqq. existeret, ac postea in Judicio Provinciali Meclenburgico, quod Perchimi celebratur, Præsidis & Consiliarii intimi dignitatem obtineret. Unde a Potentiss. Electore Brandenburg. Friderico Wilhelmo 1685. accersitus Regimini Borussiæ Regiomontano adjungebatur, Consiliarii intimi locum adeptus; hodie vero Potentiss. Borussiæ Rex Fridericus I. Legati extraordinarii ad Aulam Danicam munus eidem contulit.

ADAMUS CHRISTOPHORUS de VOSS. Eques Meclenb. natus A. 1616. d. 16. Jun. ab adolescentia variorum Principum Aulas frequentavit: Anno vero 1653. à Sereniss. Duce nostro G. A. in Aulam Güstroviensem accitus, *superior stabuli Præfectus* constituebatur, indeque per 39. annos ministerio aulico ita perfunctus, ut pietate in DEUM, amore in Principem, humanitate erga omnes rarum exemplum præbuerit ideoque a Bonis omnibus veram laudem reportaverit. † ann. 1692. d. 28. Jun. ætat. 76. relictis e conjuge *Hedwige de Osten* duobus filiis totidemque filiabus, e quibus filius major natu *Gustavus Christophorus de Voss*, Aulæ Güstroviensis Pincerna aliquandiu fuit, qui vero beati Parentis ad cœlites vestigia paulo post subsecutus est: alter filius *Reimer Ernst de Voss* adhuc superstes *Aulæ* Saxo-Naumburgicæ Magister existit. Filiarum altera *Eleonora Maria*, Johanni Cothmanno, Sereniss. Ducis nostri G. A. olim Consiliario ac Aulæ Pincernæ nupsit; altera

Catharina Hedwig, Ehrenrico de Moltken, Equiti Meclenburgico elocata est.

W.

LAURENTIUS WALFELD. Güstroviensis: natus 1639. d. 28. Septembr. ex Parentibus *Hermanno Walfeldio*, Senatore Güstr. genus suum ex Westphalia ducente, & Matre *Anna Donsteinia*, patritia Güstrov. E schola patria haustis literarum & pietatis initiis, in Academiis Witteberg. Helmestad. & Marpurg. Jurisprudentiæ atque Politices studia arripuit & postremo loco anno 1665. J. U. Doctoris titulo ornatus fuit, præmissa inaugurali Disputatione, quam sine Præside *de Beneficio Competentiæ* habuit. Ad suos redux factus in judiciis publicis tantisper versatus est, dum Sereniss. Princeps *Gustavus Adolphus* anno 1681. Judicii delegati Assessorem & anno 1684. *Consiliarium* suum *Justitiæ* in Cancellaria Güstrov. ipsum constitueret: quo munere, quoad vixit, maxima cum laude functus est. Obiit vero anno 1690. d. 14. Octobr. Orationem funebrem in ipsum habuit *M. Lucas Schröderus*, Pastor hic Parochial. & Rev. Minist. Senior super Text. Ebr. X. v. 37. 38. 39. Beatus vidit ex conjuge *Anna Elisabetha Cochia*, JCti olim nostri maxime conspicui L. Caspari Cochii filia (1) *Saram* Christiano Schulzio, J. U. D. & Consuli jam Güstrov. elocatam, (2) *Annam Sophiam*, Alberto von Dasseln / nobili patritio Lubec. nuptam, cæteris præmaturo fato functis.

DA-

Z.

DANIEL ZÖLLNER. J. U. D. Consiliarius atque Cancellarius *Carolo* & *Johanni Alberto II.* Ducibus Mecklenburg. p. m. Güstroviæ obtigit per decem, iisque amplius, annos. Meminit hujus JCti clarissimi Jo. Caselius in Oratione memoriæ Sereniss. Ducis Mecleb. *Caroli* consecrata & Helmestad. 1610. edita vocatque eundem *Senatûs Aulici principem & Cancellarium.* Lapsus vero memoria est Jo. Caselius, ubi *Zachariam Zölnerum* ipsum appellat, qui *Danielis* prænomine fuerat appellandus.

Classis Politica.

(2)

Miscellanea

Eorum, qui vel Magistratum gesserunt in Civitate, ut Consulum, Syndicorum, Senatorum; *vel alio pacto de eâdem bene meruerunt, ut* JCtorum, Medicorum, Patritiorum, *serie Alphabeticâ (ne cujusquam læderetur dignitas aut prærogativa) ita positorum, ut ratio tamen haberetur ejus, quo singuli vixerunt, temporis.*

A.

COURT von ADENSTÄD. Consul 1580. e nobilissima & perantiqua Adenstadiorum, qui in Civitate & Ducatu Brunsuicensi tam Consularem

 quam

quam Equestrem dignitatem tenuerunt, prosapia ortus.

MELCHIOR ARNSFELD. Consul 1585.

JOHANNES WILHELMUS ALRUZ. Düsseldorpiensis. Med. Doctor & h. t. Physicus Civit. Güstrov. 1705. cujus Disputatio inauguralis Medica *de Arthritide* Lugduni Batavorum ann. 1702. habita, nuper Güstroviæ recusa prodiit.

B.

JOHANNES BROCKMANN. Consul 1484. cujus majorum aliquis *Henricus Brockmann* Civis Güstrov. ejusque relicta vidua *Adelheidis* ann. 1399. integram domum & 100. marc. templo cathedrali legasse perhibentur in Diplomat. Eccles. ædis Cæcil.

PAULUS BERGIUS, Med. Doct. Sereniss. Ducis nostri Johannis Alberti II. Archiater aulicus, & Civit. Güstrov. Physicus. 1616.

GUILIELMUS BÖCKELIUS, Med. D. & Practicus. 1630.

EBERHARD von BERGEN. Rostochiensis. J. U. D. & judicii oppidani apud nos Prætor. Gener Petri Tornovii, Consiliarii Mecklenb. atque Consulis Güstroviensis. † 1698. mense Junio.

C.

CLEVENARUM f. CLEVENOVIORUM nobilissima familia a multis inde Seculis floruit in hac civitate: unde *Nicolaus Clevena*, Consul ann. 1418. *Johannes (Hans) Clevena*, Consul, 1484. *Christophorus Clevena*, Consul, 1510. *Christianus*

Cle-

Clevena, Senator † 1576. *Laurentius Clevena*, e Senatore Consul † 1640. hujusque filii: *Laurentius* † 1638. & *Sigismundus* † 1669. Senatores; ac Nepos *Laurentius Clevena*, e Senatore Consul † 1700. memorantur.

DANIEL CLANDRIAN, Consul, natus 1549. Patria Fridlandensis Stargardiacus. E Praeceptore Scholastico Ludi patrii factus est Notarius Visitationis Ecclesiasticae in Dioecesi Güstrov, cui officio hic ab ann. 1574. usque ad 1591. quo in Senatum lectus est, ita praefuit, ut in Archivo templi nostri Cathedralis adhuc multa ipsius speciminia supersint. E Senatore *Consul* creatus 1592 praebuit se pro hac civitate Virum assiduum, laboriosum, cordatum & Privilegiorum civicorum tenacem, inque vita reliqua pium ac religiosum, † 1609. Reliquit e conjuge priore *Margareta Krügeria*, filium *Christianum* civem Rostoch. primarium; e posteriore conjuge *Sophia Clevenovia* filium, *Danielem* Senatorem Güstrov. 1639. sqq. & ex hoc Nepotem ejusdem Nominis, Pharmacopolam hodie ac Senatorem Bützoviensem.

SIGISMUNDUS CROLLE, Med. D. & Practicus Güstroviensis experientissimus nec non Sereniss. Ducum Mecl. *Henrici Pacifici*, *Johannis Alberti I.* & *Ulrici* Archiater olim celeberrimus: cujus majores privilegio nobilitatis a Friderico III. Imperat. donati Ratisbonae floruerunt, † 1572. septuagenarius. Ex *Margareta Stoickessia*, uxore nobilissimi generis, sustulit filium *Johannem Crollium*,

Med. D & Practicum Güstrov. excellentissimum item Sereniss. Ducis nostri Johannis Alberti II. Archiatrum Aulicum † 1629. æt. 62. qui e conjuge *Catharina Donsteinia* patritia Güstrov. progenuit filios *Sigismundum* & *Alexandrum*, illum Quæstorem Castrensem Regis Sueciæ, hunc Capitaneum Equitumque Magistrum Cæsareum; filiamque *Annam Luciam*, qui nupsit Johanni Schirmeistero JCto Güstroviensi † 1656.

JACOBUS CÖLERUS, Med. Doct. & Practicus in hac æque ac Wismariensi urbe eximius: hîc autem vixit ann. 1621. seqq. Patrem habuit *Jacobum Cölerum*, SS. Theol. D. ac Superint. Güstrov. meritiss. cujus in classe Theologica superius facta est mentio. Frater germanus erat *M. Johannis Cöleri*, Superint. Parchim. a quo vulgatam habemus *Oeconomiam ruralem & domesticam* in fol. edit. & Ffti recus. 1692.

FRIDERICUS CORFEY, J. U. D. Syndicus & Consul Güstrov. natus Lemgoviæ in Westphalia ann. 1576. ubi supra 300 ann. nobiss. Corfejorum prosapia floruisse dicitur. Magistratum vero hîc civilem gessit per 20. annos, cum antea in judiciis publicis Procuratoris & Advocati munere functus fuisset. † 1650. ætat. 75. Vidit e conjuge *Anna Prengeria* filium *Fridericum*, J. U. D. & Practicum Krempensem in Holsatia, filiasque *Annam* Danieli Clandriano Senatori Güstrov. nuptam, & *Margaretam* Johanni Krügero Senatori Güstrov. elocatam.

JOACHIMUS LUDOVICUS CÖRBERUS, Saxo, Phil. & Med. D. celeberrimus, idemque peregrinatione per Italiam, Galliam, Belgium confecta longe experientissimus: qui primò Professor in Academia Erfurtensi Extraordinarius extitit, indeque ad Physicatum Güstroviensem anno 1688. evocatus fuit † 1692.

D.

MARTINUS DISTELOW, Consul. 1442. cujus Nomen supra Period. III. §. 2. (a) occurrit.

HIERONYMUS DONSTEIN, Senator, item Sereniss. Ducis nostri *Ulrici* olim Secretarius intimus & iteratis vicibus ad Reges Galliæ ac Poloniæ quin & Italiæ Principes Legatus illustris, atque de Aula ac Civitate nostra præclarissime meritus. Cui e conjuge *Elisabetha Cleuenovia*, superstes fuit filius *Alexander Donstein*, JCtus & Senator Güstrov. ann. 1600. seqq. atque ex hoc Nepos *Hieronymus Donstein*, civis Güstrov. primarius † 1638. tempore grassantis hic pestis cum uxore *Maria Oemichia* eodem tempore elatus. Indeque pro-nepotes *Alexander Donstein*, JCtus & Oeconomus Güstrov. † 1653. & *Hieronymus Donstein*, civis hic primarius † 1694.

JACOBUS DÖRCKES, Senator ab ann. 1671. † 1687. d. 9. Novembr. septuagenarius senex. Patre clarus *Ulrico*, Avoque *Johanne* civibus hic loci primariis; quorum majores in oppido Novesio

(Neus) Ducatus Juliacensis olim habitarunt, & atrocissimam Ducis *Albani* persecutionem ita experti sunt, ut nonnulli Dörckesiorum sanguine etiam suo doctrinam Evangelicam confirmasse perhibeantur. Qua de causa avus *Johannes* in exilium ejectus, & domo fortunisque relictis Güstroviam DEO Duce delatus portum hic invenit pro se ac posteris maxime tranquillum, cum *Dörckesiorum* familiam non Güstroviæ modo sed & Rostochii in nobilissimis quoque florentissimam ætas nostra viderit. Meminit enim Güstrovia è *Jacobo Dörckesio* Senatore prognatos filios *Jacobum* & *Danielem*: hunc aliquando Senatorem Güstrov. nunc Consiliarium Cameralem & Quæstorem provincialem Sereniss. Ducis nostri Meclenburgici; illum J.U.Doct. & caus. Patron. consultissimum at præmature vita defunctum ann. 1680. æt.32. ut reliquos 2. maximum natu *Johannem Ulricum* civem Rostoch. primarium † 1672. & minimum natu *Laurentium* Hispalensem in Hispania Negotiatorem taceamus.

WINHOLD DINCKGRAFF, Wismariensis. Reip. Güstrov. Senator, & Secretarius Visitationis Eccles. 1661. seqq. † 1667.

GEORGIUS DETHARDINGIUS, Stetinensis Pomeranus, Medicinæ Doctor, Stralesundensium olim Poliater, sed ann. 1680. Güstroviam vocatus, hic primo Physicus civitatis fuit, paulo post vero hodieque Archiater Ducalis existit longe experientissimus. Filius *Georgii Dethardingii*, Pharmacopoei quondam aulici Stetinensis & Scabi-

natus

natus ibidem Assessoris, e Scriptis Polemicis *de Auri aliorumque metallorum solutionibus haud spuriis* cum D. Agricola Hauptmanno sociatis orbi Medico haud ignoti. In lucem edidit Noster varia opuscula Medica partim Stralesundiæ, partim Güstroviæ excusa v. g. (1.) Discursus über etliche Fragen eine Apothecker-Taxa betreffende/ ob/ wann und wie dieselbe könne eingerichtet werden/ wobey zugleich angehänget 2. nützliche Fragen vom Flecken-Fieber 1673. (2.) Examen obstetricum oder Befragung der Heb-Ammen/ bestehend in 150. Fragen/ auff welche eine anzunehmende Bade-Mutter soll antworten können/ allen Schwangern/ Kindbetterinnen und Wärterinnen dienlich und zu lesen nützlich/ 1675. (3.) Der unterwiesene Krancken-Wärter in 14. Capitel bestehend/ darinn dessen/ so bey den Krancken umgehet/ Gebühr und Amt abgebildet und fürgestellet wird/ 1679. (4.) Entwurff von der billigen Vorsorge einer Christl. Obrigkeit/ so wohl wenn die Pest noch von ferne/ als auch wenn sie schon im Lande oder Stadt/ in etlichen Sätzen vorgestellet 1680. (5.) Wohlmeynende Erinnerung/ dadurch vom schädlichen Mißbrauch der Artzney-Mittel insgemein einen jeden/ und voraus diejenigen so sich dessen wohlmeynend unterfangen/ Christ-billig abrathen wollen 1689. (6.) Discursus vom Gesund-Brunnen zu Kentz in Pommern/ denen die von hie oder aus hiesigem Lande selbigen besuchen wollen/ zur Nachricht/

jussu Sereniss. Duc. Mecleb. 1690. (7.) Epistola paraenetica ad Filium pro obtinendo Doctoris Med. titulo de calculis Microcosmi in Cathedra Altdorffina disputantem 1693. (8.) Nomenclatura chirurgica s. Vocabularium latino-germanicum in usum chirurgiae Tironum, 1696. (9.) Die gewisse und eigentliche Gefahr und der Schade derer Krancken/ die ihren Leib zweyen oder mehrern Medicis zugleich anvertrauen/ deutlich und gründlich vorgestellet 1698. (10.) Die anietzo allenthalben sehr einreissende Unsicherheit/ davor sich die guten Patienten wohl vorzusehen haben/ ꝛc. ꝛc. 1706. ineditus adhuc ab eodem servatur *Tractatus de Podagrá* ex propria & aliorum experientia confirmatus. Genitum a se videt e conjuge Anna Catharina Neseniâ Filium unicum Patri Avoque ὁμώνυμον, Med. D. & Anatom. ac Botan. uti & Mathem. super. Profess. P. Ducal. in Acad. Rostoch.

F.

JACOBUS FABRICIUS, Med. D. Patria Rostochiensis, qui anno 1603. ascitus est in *Archiatrum* Aulicum a Serenissimis Ducibus Mecleburg. & primo quidem a Principe *Sophiâ* Ducis *Johannis* vidua in Aulam Lüpzensem, postea etiam a filio Pr. *Johanne Alberto II.* in Aulam Güstroviensem, donec anno 1612. & seqq. Medicinae ac superior. Mathem. Profess. in Acad. Rostoch. deligeretur, & tandem ann. 1637. & seqq. Sereniss. Daniae Regum Christiani IV. & Friderici III. Archiater primarius, nec multo post Praelatus Arhuensis & Canonicus Rot-

schil-

Schildensis constitueretur, † 1652 Scripta ejus recenset Witten. in Diar. Biograph. ad ann. 1652. 14. Aug. E conjuge *Margareta Mölleria* superstites habuit filias *Elisabetham* D. Simoni Pauli Rostochiensi, Daniæ Norvagiæ Regis Medico aulico nuptam & *Sophiam* Danieli Sandovio J. U. D. & Judicii Prov. Meclenb. Procuratori matrimonio junctam; filiumque *Henricum* Med. Candidatum † 1660. reliquis ante patrem denatis. Confer. D. Aug. Varenii Progr. Acad. ad Exsequias Fabric. publicat. 1652. d. 15. Sept.

G.

GERDESIORUM memoria atque familia in hac urbe in primis floruit: Nam *Martinus Gerdesius* Malchinensis, qui primus nobilitatem suo generi acquisivit, J. U. D. Syndicus & Consul Güstroviensis inclaruit ab anno 1599. Vir politiori doctrina plurimoque rerum usu sua ætate præstantissimus † 1629. ætat. 73. Qui reliquit e conjuge *Catharina Kothia*, (Christophori Mageiri proto-Ecclesiastæ Cathedr. filia superstites filios prænobilissimos: *Christophorum* Consulem Lübecensem † 1661. *Martinum* JCtum & Consiliarium Archiepisc. Brem. *Johannem* J. U. D. & Patris in Consulatu Güstroviensi Successorem † 1680. & *Winholdum* Civem Rostoch. primarium. Ad *Johannem Gerdesium* quod attinet, memoria hujus Viri tanto est testatior in hac urbe, quanto propius adhuc ejusdem merita recordari licet. Studia ejus haud erant proletaria, sed solida, sed exasciata. Lectus au-

autem est e foro causidico in Senatum oppidanum, 1656. & 1664. ad dignitatem Consularem, ut esset simul in Areopago Provinciali Mecklenburgico Assessor extraordinarius † 1680. ætat. 76. Qui e conjuge *Helena Warckentinia* patritia Güstrov. præter filias (*Catharinam*, quæ Laurentio Schrödero, J. U. D. atque Judicii Provinc. Meckl. Assessori nupsit, *Helenam Elisabetham*, quæ Joh. Alberto Schützio Consiliario Aulico Güstroviensi connubio juncta, & *Catharinam Sophiam* (1.) Jacobo Dörckesio, J. U. D. & Causarum Patrono Güstrov. consultissimo † 1680. (2.) Christophoro Redekero J. U. D. & Reip. Rostoch. Consuli nuptam) superstes fuit filius *Martinus Christophorus Gerdesius* J. U. D. & a morte b. Par. Consul Güstroviensis atque Assessor extraordinarius in Tribunali Provinciali aulico: Vir summæ existimationis, qui vero conceptam de se spem patriæ omniumque expectationem præpopera morte præcidit † 1685. d. 15. Decembr. æt. 42. relictis è conjuge *Margareta* von Brömbsen / patritia Lübec. filio *Johanne Alberto Gerdesio*, jam J. U. Candid. & filiabus *Helena* atque *Margareta*, quarum *illa* A. 1690. Viro Excell. *Johanni Kleinio*, Consiliario Ducali intimo atque Cancellariæ Justitiæ ac Consistorii Directori, nec non Profess. Pand. publ. in Acad. Rostoch. nupsit; *hæc* ann. 1704. D. Birchholzio, JCto Rostoch. nupsit.

QHILIANUS GARTZE, Med. D. & Practicus † 1653. Lucæ Hagemeisteri Consulis Güstroviensis Gener.

JA-

JANUS ABRAHAMUS à GEHEMA, Nobilis indigena Polonico-Borussus. Cujus majores quidem è Frisia Orientali & Brabantia genus duxerunt, persecutione autem Hispanica, quam Dux Albanus olim movit, avita sede turbati in Borussia tandem consederunt: ubi ejus Avus *Abrahamus* atq; Pater *Jacobus* à Gehema jure Indigenatus donati Equestribus officiis olim servierunt Poloniæ Regibus; Matrem veneratur *Virgineam* von Köcherbarten/ a Martino Opitio Poetarum German. principe passim ob ingenii dotes in carminibus suis celebratam. Idem studiis humanioribus in adolescentia expeditis, castra secutus est aliquantisper Capitanei equitumque Magistri loco habitus, sed non multo post militiæ pertæsus a Marte ad Artem rediit ac Medicinæ operam navavit, Doctorisque in ea Facultate gradum promeruit. Ab ejusmodi tempore in Aulis magnorum Principum versari coepit & Consilia Medica suppeditare jussus est: quo nomine etiam anno 1688. & seqq. in Aulam Güstroviensem penetravit, à morte verò Sereniss. Ducis nostri *Gustavi Adolphi* Berolinensem Aulam regiam frequentavit: adhæc speciali Potentissimi Borussiæ Regis indultu nunc *Fiscalis Heraldicus* (Fiscal des Armes) constitutus est in illustri Scientiarum Collegio. Scriptorum ejus, quæ sparsim in lucem edidit tam Medica quam Heraldica, hæc fere sunt præcipua: (1.) Die eroberte Gicht durch die Chinæische Waffen der Moxa. (2.) Epistola de Plica Polonica ad excellentissimum D. de Bon-

Bontekȯe. (3) Epistola de novo bilis & succi pancreatici itinere ad excellentissimum D. de Bontekȯe. (4) Epistola de Arthritide ad illustr. Comitem ab Alefeld Magnum Daniæ Cancellarium. (5) Von den heutigen arcanis antipodagricis an seiner Hoch-Gräffl. Excellence Herrn Grafen von Rantzow. (6) Der wohl-versehene Feld-Medicus. (7) Der qualificirte Leib-Medicus. (8) Der reformirte Apothecker. (9) Officirer Feld-Apothecke. (10) Grausame Medicinische Mord-Mittel. (11) Edler Thee-Tranck und herrlicher Wasser-Trunck. (12) Thee verursachet keine Wasser-sucht / sondern curiret dieselbe. (13) Observationes Medicæ. (14) Observationes Chirurgicæ. (15) Vorsichtige und gewissenhaffte Säug-Amme. (16) Diatriba de febribus. (17) Die schädliche und gestraffte Obst-Lust. (18) Der krancke Soldat. (19) Der beste Zeit-Vertreib. (20) Gesundheits-Reguln. (21) Zwey und zwantzig-jährige bewährte Fieber-Cur. (22) Vernunfft- und Erfahrung-mäßige Erörterung der wichtigen Frage: Ob es rathsam sey / in hitzigen Fiebern spirituеuse und volatilische Medicamenten zu gebrauchen. (23) Diætetica Rationalis. (24) Apologie wider seine Verläumder. (25) Von der Kinder-Zucht. (26) Einleitung zu der Beredsamkeit. (27) Der ermunterte Heerhold. (28) Auffmunterung zu der Edlen / uhr-alten Heerhold-Kunst.

FRIE-

FRIEDERICH GOTTFRIED GLÜCK; Naumburgensis-Misnicus, Medicinæ Doctor & Archiater hodie Aulicus Güstroviensis, qui Patre *Balthasare Glück*, Philosophiæ Magistro Lipsiensi & Advocato Naumburgico, Matre autem *Maria Elisabeta Winckelmannia*, D. Conradi Winckelmanni, Physici olim Weissenfelsensis, dein Naumburgensis filiâ, procreatus est. Jactis ab adolescentia debitis in humaniori Literaturâ fundamentis è Gymnasio patrio in Academiam Lipsiensem missus D. Wolffium, D. Alberti, L. Cyprianum, M. Heunischium, D. Ett-Müllerum, D. Ammannum, D. Bohnium, D. Welschium, D. Petermannum, &c. Præceptores veneratur. Anno 1685. ibidem sub Præsidio D. Bergeri Disputationem pro Loco *de Mania* respondendo defendit, Academiasque hinc Jenensem ac Erfordiensem salutavit, ibique DD. Wedelium, Faschium, Leichnerum, ab Hardenfels aliosque audivit. Praxin deinde Clinicam Lipsiæ incepit & aliquot Studiosos privatim exercitii loco Medicinam docuit. Relictâ iterum Lipsiâ suasu Dn. D. Franci de Franckenau Physicatum Wurtzensem obtinuit: hinc Wittebergæ A. 1690. pro Licentia disputavit gradumque Doctoris assumsit Disputatione inaugurali habitâ *de Dysenterico Flumine* sub D. Franci Præsidio. Post aliquot annos procurante Domino Linckio Pharmacopæo Lipsiensi non-incelebri, communicatisque literis D. Georgii Dethardingii ob vacuum Physicatum, Güstroviam petiit, moxque non solum Physicatum oppidanum, sed etiam ex singulari gratia Divi

nostri Principis *Gustavi Adolphi* Medici Aulici munus impetravit, hodieque a Vidua Sereniss. confirmatum Archiatri munus sustinet civitatique saluberrime consulit.

H

HAGEMEISTERORUM Nomen in hac urbe & antiquitate generis & meritorum splendore, aeque ac *Clevenemiorum*, est florentissimum, quippe qui a multis Seculis Consulari & Senatoria dignitate hic eminuerunt. Praecipua autem, quoad recordari licet, memoria digni sunt *Achim Hagemeister*, † 1500. seqq. hujusque filius *Lucas Hagemeister* † 1565. Senatores. *Bernhardus* & *Gerhardus Hagemeisteri* Lucae filii, ille Senator † 1593. hic e Senatore Consul † 1630. *Lucas Hagemeister* Gerhardi filius Consul † 1664. a quibus recta descendit Joachimus Hagemeister, J. U. D. hodieque in Dicasterio Provinciali Meclenb. Procurator ordinarius. Praeter hos inclaruerunt etiam: *Georgius Hagemeister* (Achimi Filius alter) qui Sereniss. nostro Duci Ulrico p. m. olim Secretarius fuit aulicus, Oeconomus atque Quaestor. Eique ob singularem rerum gerendarum peritiam atque dexteritatem admodum carus, 1580. seqq. hujusque filius *Johannes Hagemeister*, J. U. D. qui Sereniss. Principi ac Duci nostro *Carolo* p. m. à Consiliis fuit, 1604. seqq. Nec praetereundus *Michael Hagemeister*, Gerhardi Cons. alter filius, J.U.D. & Judicii Provinc. Meclenb. Advocatus, 1634. seqq.

MAURITIUS HEINE, Malchoviensis. Med. D. & Practicus Güstroviensis eximius, ab anno

1603.

1603. & Sereniss. olim Ducis Mecl. Johannis Alberti II. Archiater celeberrimus ab anno 1613. usque ad 1628. quo mortuus est, æt. 54.

JOHANNES von Hillen. Osnabrugensis: J. U. D. ejusdemque apud Güstrovienses Practicus Consultissimus ab ann. 1617. usque ad 1627. quo propter Wallensteinianos tumultus bellicos domicilium hinc transtulit Lübecam, donec a Sereniss. Principe *Augusto* Duce inferioris Saxoniæ Consiliarius & Assessor Judicii Provincialis constitueretur, Lubecæ tamen plerumque viveret, † 1638. d. 21. Aug. qui e conjuge *Elisabeta Gerdesiâ*, patritia Güstrov. D. Martini Gerdesii Cos: Güstrov. filia, reliquit filios *Johannem Christophorum* von Hillen / J. U. D. ac Practicum Rostoch. perquam celebrem, & *Hermannum Fridericum* von Hillen / Civem Rostoch. primarium sine prole mascula defunctos.

JOHANNES HERÆUS, Wetterano-Hassus. Med. D. ejusdemque Practicus eximius, atque Sereniss. Ducis nostri Johannis Alberti II. Archiater aulicus circa ann. 1636. seqq. Superstites è conjuge *Anna* von *Dören*, Isaaci von Dören, Civis spectabilis Slesvicensis, filiâ reliquit filios *Isaacum* Pharmacopæum Hanoviensem; *Gustavum Adolphum* JCtum; *Christianum*, Med. D. & Reginæ Suec. Archiatrum Holmiensem atque ex hoc Nepot. *Carolum*, Canonicum Hamburg. & Consiliar. aulic. Sondershusanum. Socer

idem fuit *Samuelis Kistmacheri*, J. U. D. & in Judic. Provincial. Meclenb. Procuratoris.

MELCHIOR HABICHHORST, Burdoviensis, JCtus & Advocatus in foro Güstroviensi bene versatus circa ann. 1616. ex nobili familia, der von Havickhorsten prope Cellam Lüneburgensium adhuc vigente oriundus, qui ex conjuge *Esthera Emmen*, Matthæi Emmii, Cameræ Ducal. Güstrov, Secretarii filiâ genuit filium *Danielem* Habichhorst / omnium Præfecturarum Ducat. Meclenb. Inspectorem, † 1675. Unde Nepos *Andreas Daniel* Habichhorst, SS. Theol. D. ejusdemque Profess. Rostoch. & Consistor. Ducal. Assessor, nostrâ ætate satis fuit conspicuus, † 1704.

JOHANNES HELINGIUS, Med. D. & Sereniss. Ducis Gustavi Adolphi gl. m. Archiater experientissimus, † 1656.

CHRISTIANUS HALTERMANN. Senator Güstroviensis ab ann. 1641. † 1658. ab *Adamo Haltermanno*, Lipsiensi, Cive hic olim primario, † 1638. genitus: Fratrem habuit *Adamum Haltermannum*, J. U. D. sed 26. æt. anno defunctum 1626. reliquit e conjuge *Catharina Sibrandinâ Christianum* & *Joachimum Fridericum* filios, hunc quidem civem & Oenopolam Rostoch. illum vero civem Güstrov. primarium, † 1692.

ALBERTUS HINCKE. Güstroviensis. Philosophiæ Magister, Senator Reipubl. Güstrov. ab ann. 1656. † 1680. Filius *Simonis Hinckii*, Senato-

natoris pariter Güstroviensis; Gener (1) M. Georgii Prætorii, Cantoris Sch. Güstrov. (2) Jacobi Lemkii, Senatoris & Camerarii Rostoch. Hinc præ cæteris pregnatus est filius *Christianus Albertus Hincke*, Pastor & Præpositus hodie Röbelensis.

K.

NICOLAUS KÖSELOW. Consul, 1391. cujus beneficia summopere prædicavit Ecclesia olim papalis, quod moriturus cum ipse tum uxor ejus *Adelheidis* 530. marc. lub. duo cingula argentea, integramque domum ad pias causas templo Cathedrali jure testam. legaverit.

JOACHIMUS KOCH. Consul, nec non Sereniss. olim Ducis Meclenb. *Henrici Pacifici* Secretarius, anno circiter 1548. seqq. Cujus e conjuge *Anna Schütten s. Schützen*, patritia Güstrov. filius fuit *Christianus Koch*, Camerarius & Senator Güstrov. 1600. idemque gener Hieronymi Donsteinii superius memorati Secretarii; indeque Nepos *Joachimus Koch*, Senator Rostochiensis, † 1629. atque Pro-nepotes: *Christianus Koch*, J. U. D. Consiliar. Reg. Maj. Suec. & Dicaster. Pomer. Assessor. † & *Hieronymus Koch*, J. U. D. & Advocatus Jud. Provinc. Meclenb. † 1657.

ULRICUS KRüGER. e Senatore Consul, 1613. sqq. atque ejus filius *Joachimus Krüger*, Senator Güstrov. nec non Sereniss. Mecleb. Ducis Capitaneus Præfecturæ Güstroviensis. 1626. seqq. quorum nobilissima familia in Majoribus.

Jacobum & *Valentinum Krügeros*, Senatorii ordinis Viros ann. 1570. & 1592. commemorat, hodie vero in Nepotibus exspiravit, quamvis inter cives nostros primarios etiamnum idem nomen floreat, quorum majores an cum illis propinquitate quâdam conjuncti olim fuerint; non potui indagare.

CONRADUS KRüGER. Lüneburgensis. Senator ab ann. 1656. † 1666. Cujus filii fuerunt *Joachimus Krüger*, J. U. D. & Advocatus in Dicasterio Provinc. Meclenb. † & *Johannes Krüger*, primo Secretarius hujus Civitatis postea Senator ab anno 1683. bene meritus, Gener D. Friderici Corfeji, Consulis ac Syndici Güstrov. supra laudati, cujus filiam *Margaretam* 1665. duxit uxorem. † 1697.

JOACHIMUS KISTMACHER, J. U. D. Consul & Syndicus Güstroviensis, cujus Majores in civitate Parchimensi olim (ubi ann. 1597. d. 2. Febr. natus) Senatoria dignitate floruerunt ab anno 1630. huic civitati consulere coepit opera partim forensi, partim civili, inque Senatum lectus est anno 1641. & 1651. Syndici pauloque post Consulis munus obtinuit, nec acerbissimis belli tricennalis temporibus commodo publico unquam defuit, sed imminentia urbi pericula, ut exactiones, direptiones, hospitia aliaque onera Martis, deprecaturus ad Gallassium, Bannerium, Torstensohnium, belli Duces ipse profectus est, non sine vitæ discrimine: nec minori dexteritate fuisse prædicatur

catur in conventibus atque diætis provincialibus, quotiescunque salus ageretur hujus civitatis † 1674. mense Majo, æt. 77. E conjugio primo, quod 1629. cum *Elisabeta Jungclausen*, D. Joachimi Jungclausen, Consil. Meclenb. filia contraxit, reliquit 2. filios *Samuelem*, J. U. D. atque Procuratorem in Judicio provincial. & *Paulum*, J. U. Practicum hoc loco consultissimum, † 1702. totidemque filias *Elisabetam*, M. Protasio Beselin, Pastori Petrino apud Rostochienses postque hujus obitum Christiano Saurio, Pastori Beuzenburgensi nuptam; & *Margaretam*, Johanni Nesen, J. U. D. & Advocato Güstrov. olim consultiss. junctam. E conjugio altero, quod 1650. cum *Catharina Stephani*, D. Laurentii Stephani, JCti excellentissimi & olim Vice-Præsidis in Tribunali Meclenb. filia iniit, superstites vidit filium *Laurentium*, filiasque *Annam Elisabetham*, quæ anno 1672. nupsit Nicolao Michaelis, J. U. D. & Practico, † *Catharinam* 1678. Matthiæ Steinkopffio, Quæstori Provinc. Mecleb. elocatam, & *Barbaram Mariam* anno 1679. Davidi Friderico de Wachenfeld, Supremo Locum-tenenti Potent. Regis Suec. nuptui datam, †

JOHANNES KÖLTZOW, Med. D. & Physicus Güstrov. experientissimus ex nobiliss. Kölzoviorum, quæ Rostochii dudum floruit, familia ortus: qui vero anno 1679. hinc iterum discessit ad Stralesundenses.

JOHANNES KÜHLE, Senator hujus Civitat. ab anno 1622. sqq. nec non Ducis Fridlandensis s. Wallensteinii Quæstor Provincialis Mecklenburgicus, † 1638. Johannis Trebbovii, Senat. Güstrov. Gener. cujus ex filio Nepos *Johannes Daniel Kühle*, hodie Civis hîc primarius, rationibus Cameralibus in curia præest.

JOHANNES & JOACHIMUS KARNATZ, germani fratres. Cives hìc primarii & Mercatores inclyti, ex vicino oppido Goldberga genus atque familiam ducentes: quorum alter in Senatum lectus 1680. obiit 1694. admodum senex, præterque filias ante obitum patris optatis conjugiis elocatas reliquit filium cognominem *Johannem Karnatz*, Senatorem quoque Güstroviensem & Oenopolam, † 1704. Alter fratrum *Joachimus Karnatz*, † 1680. superstites habuit filios: (1) *Martinum*, J. U. L. consultiss. & in Cancellaria Güstrov. Advocatum Fisci † 1702. æt. 40. (2) *Johannem Joachimum*, JCtum hodieque Judicem oppidanum. (3) *Samuelem*, Civem & Negotiatorem Parchimensem; & 2. filias, quarum major natu nupsit *Martino Rügenwaldio*, Med. Doct. ejusdemque eximio olim Practico, ann. 1683.

L.

JOHANNES LEXOW, JCtus & Senator eximius; sed perbrevis ævi, Joachimi Karnatzii Affinis proximus; † 1683. qui Patre generatus erat *Joachimo Lexovio*, Secretario in Aulâ Güstroviensi olim claro.

M.

ASMUS MATTHIAS, Consul. 1557.

SEBASTIANUS MEJERUS, Phil. & Med. D. & Physicus Güstrov. *M. Sebastiani Mejeri*, Rectoris in schola Güstroviensi atque Lubecensi olim clarissimi, atque *Gertrudis Dobbinia* patritiæ Rostoch. Filius, natus Güstroviæ 1626. d. 30. Octobr. Initium suæ Praxeos in oppido Sternbergâ, cum Dicasterio Provinciali adhuc floreret, fecit, sed A. 1652. domicilium in urbe Güstroviensi delegit, ex quo tempore non civitati tantum sed & Aulæ consilia medica suppeditavit, † 1678. d. 12. April. Thori sociam adsciverat *Dorotheam Wedeliam*, Andreæ Wedelii, olim Advocati Oeconomi & Visit. Notarii Güstrov. filiam. Ex quo conjugio supersunt: filius *Sebastianus*, J. U. Lic. hîc quondam Secret. Cancellariæ Ducalis, jam vero Assessor Dicasterii Raceburgensis à Sereniss. Mecl. Duce Adolpho Friderico II. constitutus. Filiarum altera *Anna Gertrudis*, Petro Tornovio, J. U. D. Consiliario & Consuli Güstroviensi altera *Catharina Dorothea*, D. Lucæ Schrödero, Theologo Doctori & Superintendenti Stralsundensi, olim hic Pastori Parochiali, nupsit.

ARNOLDUS MEINHARD. JCtus & Prætor forensis in hac urbe inclytus, e civitate Marchicâ Wilsenacensi oriundus, ubi Patrem veneratus est *Hieronymum Meinhard*, Civem & Mercatorem æstimatissimum, Matremque *Annam Schmiedes*, obiit 1675. Habuit e conjuge *Anna*

Stammans, Adami Stammans gemmati operis in Aula Güstr. olim artificis filia superstitem filium *Laurentium Arnoldum Meinhard*, J. U. D. & Advocat. Güstrov. †1680.

MATTHIAS GEORGIUS MOESLING. Güstroviensis. J. U. D. & causarum in Foro Güstroviensi Patronus celeberrimus, cujus Disputatio inauguralis *de Circumventione in Contractibus licita* in Acad. Kiloniensi anno 1690. d. 23. Jun. prodiit. Gener obtigit Johanni Karnatzio Senatori, paulo superius memorato, cujus Filiam natu minimam ann. 1691. in societatem conjugialem sibi adsciverat; sed in ipso ætatis flore atque Honoris incremento rebus terrenis ereptus, † 1700.

N.

JOHANNES NESE, Senator Güstroviensis, olim prudentissimus & mercatura hîc præstantissimus Civis 1636. seqq. qua & Parens ipsius *Hans Nese* hic sub finem Seculi XVI. floruisse traditur, cujus memoriæ Epitaphium aliquod in Templo Parochiali consecratum cernitur ab ann. 1615. Quemadmodum vero *Johannes Nesenius* Güstroviæ dignitatem Senatoriam gessit; ita frater ejus *Joachimus Nesenius*, JCtus & Senator Rostochiensis celebratur: uterque autem anno pestilentiali 1638. defuncti, cum Anno 1616. qui pariter lue epidemia fatalis fuit; Affinem suum proximum *Casparum Hansium*, negotiatorem hîc inclytum ejusque conjugem ac liberos pene omnes eodem tempore

pore ad sepulcrum elatos vidissent. Ex *Joachimo Nesenio* superstes fuit filia *Anna Catharina*, quæ nupsit D. Conrado Schuckmanno, Dicasterii Provinc. Meclenb. Assessori designato, & post hujus mortem D. Georgio Dethardingio, Seniori, Archiatro jam Aulic. Güstr. Ex *Johanne Nesenio* hic Senatore prognatus fuit Filius ejusdem nominis *Johannes*, J. U. D. & Advocatus hîc celeberrimus, Consulis Joachimi Kistmacheri paulo superius laudati Gener, perbrevis quoque ævi, † 1678. qui reliquit filium unicum *Joachimum Nesenium*, JCtum & è Prætore forensi Syndicum civitatis Güstrov. consultissimum, 1705. cum duabus sororibus adhuc superstitem.

R.

JOHANNES RICHARD. J. U. D. & Reip. Güstrov. Medicus ordinarius 1578. seqq. qui D. Sigismundi Crollii, Medici superius memorati, relictam viduam *Magaretam à Stoteloff* 1578. conjugem duxit.

JOHANNES RUMHELD. Med. D. & eximius Practicus Güstrov. 1624.

JOHANNES RüGENWALD, Med. D. & Practicus Güstrov. *Martini Rügenwaldii*, inclyti olim Pharmacopolæ Güstrov. Filius, Gener Joachimi Karnatzii paulo ante memorati; qui vero in ipso ætatis atque praxeos suæ incremento, † 1688. relicto filio ejusdem nominis jam patrissante.

S.

MARTINUS vom SEHE, Consul, 1570. cujus nobilissima in hac urbe familia tandem in Nepote *Ulrico* vom *Sehe*, Senatore Güstroviensi 1630. seqq. exspiravit; quemadmodum & prosapia *Stoislofforum*, qui centum abhinc annis superioribusque Seculis consulari ac Senatoria dignitate nonnunquam floruerunt in hac civitate, *Schützii* affinitate conjuncti.

SANDOVIORUM quoque Familia videtur perantiqua: quippe quæ non *Güstroviæ* modo, sed *Wismariæ* etiam satis spectatæ fuit dignitatis. Güstroviæ quidem memorantur *Henricus Sandow*, Consul. ann. 1502. idemque Quæstor Provincialis (G. Land-Rentmeister) *Joachimus Sandow*, Provisor templi nostri Parochial. 1512. Wismariæ vero *Bartholdus Sandow*, Senator, 1550. idemque antea Sereniss. Meclenb. Ducis Henrici Pacifici Secretarius intimus, hujusque filius *Daniel Sandow*, Senator & Camerarius Wismar. indeque Nepotes *David Sandow*, Consul Wismar. 1624. atque *Joachimus Sandow*, Registrator hîc Cancellariæ Ducalis, postea forma Reipublicæ mutata, Senator Güstroviensis ab anno 1636. spectabilis, † 1638. tempore pestis. Hujus Joachimi è conjuge *Ilsabe Bavendererden* (Petri Bavendererden, Præfecti olim Ducalis Stargardiensis & Senatoris postea Neo-Brandenburgensis filia) uterque filius *Daniel Sandow*, J. U. D. consultissimus, Advocatus in Judicio Provinciali Meclenburgico celeberrimus

item-

itemque Hæreditarius in Boldenstorff / & *David Sandow*, Senator primò, post Consul Güstroviensis meritissimus, in recenti adhuc memoria ac laude versantur. Hic enim (David) ex Dania & Norwagia, ubi amplissimis iisque regiis negotiis aliquantisper præfuerat, redux factus anno 1650. in Senatum lectus & anno 1675. Consul creatus est Güstroviensis, vixitque cum laude ad ann. 1689. quo mortuus non relicta prole. Ille vero *Daniel Sandow* à teneris annis optimarum artium studiis egregie imbutus, antequam in Patria consideret, anno 1632. Sereniss. Ducis Meclenb. *Johannis Alberti II.* nec non Sereniss. Hesso-Darmstadiensis Landgraffii Pr. *Georgii* ad Reg. Suec. Majest. Legatus extitit multisque Suecorum in Germania expeditionibus interfuit, Secretarii Cameralis regii nomine clarus. Rerum vero bellicarum pertæsus ann. 1635. studia Juris ejusque praxin continuavit assumtoque Doctoris gradu in Foro Provinciali Meclenburgico plurimum versatus & anno 1662. à Cæs. Majest. Comitis Palatini privilegio nobilitatus est, † 1664. Güstroviæ æt. 57. cum bis in conjugio vixisset: primum cum *Margareta Elisabeta Stephani*, D. Laurentii Stephani, Vice-Præsidis in Tribunali Meclenb. filia; deinde cum *Sophia Fabricia*, D. Jacobi Fabricii, Archiatri Danici, Prælati Aarhusiensis & Canonici Rotschildensis filia: Hinc superest hodienum filius *Daniel Sandow*, Senator & Camerarius Güstroviensis amplissimus optimeque meritus, Gener M. Nicolai Heidemanni

Archiater & Consiliarius. Patria Saltzwedelensis Marchicus natus 1618. d. 24. Aug. à Parentibus *Joachimo Schmid*, Senatore & Camerario Salzwedelensi & *Elisabetha Stappenberia*, Senatoris ibidem filia. Vir ob Eruditionem atque Experientiam magni semper habitus, anno 1652. ab Ampliss. Senatu Luneburgensi Reip. illius Physicus constitutus, usque ad ann. 1657. Luneburgi vixit in magna celebritate. Postquam vero A. 1657. à Sereniss. Duce *Gustavo Adolpho* in Aulam Güstroviensem vocatus erat, non in hac urbe solum sed & per totam Provinciam semper magna fuit hujus Viri existimatio † 1671. mense Martio, relictis e conjugio, quod cum *Maria Koven*, Henrici Koven Præfecti primo Luneburgici in Bardorff, deinde Magdeburgici in Obsfelde filia; *Henrico Joachimo*, Medic. D. & Archiatro Suec. in Aula Holmiensi, *Gustavo*, Med. D. & Physic. Gardelegiensi, *Augusto*, Consiliar. Sereniss. Duc. Meclenb. *Johanne* Secretario Holmiensi filiis; atque *Anna Christiana*, *Maria Elisabetha* & *Marta* filiabus.

CHRISTOPHORUS SCHRöDTER, Dannebergensis Luneburgicus, Phil. & Med. D. Archiater & Consiliarius Sereniss. Mecleb. Ducis *Gustavi Adolphi*, qui a morte D. H. Schmidii in Aula atque civitate Güstroviensi magnopere excelluit, quique ob egregiam Eruditionem insignemque pietatem in magnis delitiis fuit habitus: hinc autem anno 1692. cum omni

fa-

familia Hamburgum discesfit, ibique hodienum Praxin Medicam exercet.

AUGUSTUS SCHNEIDER, Freibergensis Misnicus, Reip. Güstrov. Senator ab anno 1639. conspicuus † 1670. Patre usus *Paulo Schneidero*, Sereniss. Electoris Saxoniæ rerum Metallicarum Præfecto Freibergensi, Matre *Maria Mölleria*, Senatoris Chemnicensis filia. Reliquit e conjuge *Josina Kühlen*, (Johannis Kühlii, Senatoris Güstrov. filia) filios *Godofridum* & *Christianum Schneideros*: quorum *ille* JCtus & Advocatus eximius in ordinem Senatorium 1683. lectus, *hic* vero Oeconomiæ Ecclesiasticæ Ducali præfectus, ambo præmaturâ morte functi sunt.

CHRISTIANUS SCHULZE, J. U. D. antehac Judicii oppidani Director, jam Consul hujus civitatis, & in Jud. Provincial. Meclenb. h. t. Assessor extraord. Gener D. Laurentii Walfeldii Consiliarii Justitiæ superius laudati. Fuitque Schulziorum familia in hac civitate non quidem una, in multis tamen præcipua, ac pervetusta.

CAROLUS SIBETH, JCtus & Senator civitatis Güstroviensis hodie nobilissimus, antea etiam Visitat. Eccles. in District. Rostoch. Secretarius. Gener *D. Samuelis Kistmacheri* JCti jam superius memorati, ac Filius *Henrici Sibeth* Pastoris Ecclesiæ Marloviensis adhuc dum superstitis Senisque octogenarii. E Majoribus Avum venera-

neratur *Carolum Sibeth*, Reip. Rostoch. civem primarium † 1593. Proavumque *Henricum Sibeth*, Nobilem Livonum in Poloniæ Regis Aula olim versatum, & Narvæ urbis inclytæ aliquando Præfectum Suecicum, belli vero injuria inde ad Rostochienses delatum ibique demortuum, cujus majores nobilem suam prosapiam ex ipsa Britannia deduxisse, exploratum habemus.

T.

JOHANNES TREBBOW, Senator Güstroviensis, ann. 1620. *Eggerti Trebbovii*, Præfecti Miroviensis Filius: qui e conjuge *Margareta Clevenovia*, Christiani Clevenovii, Senatoris Güstrov. reliquit filium *Johannem Trebbovium* pariter Senatorem hujus civitatis per 33. annos conspicuum. Hujus ex conjuge *Anna Margareta de Sanitzen*, filiam *Annam Margaretam*, uxorem primis nuptiis duxit *Daniel Sandovius*, Senator hodie Güstroviensis, anno 1685. defunctam.

JOHANNES TROYE, Senator Reipubl. Güstroviensis ab anno 1671. † 1679. Patre clarus Daniele Troye, Quæstore Episcopali in arce vicina Bützoviensi, postea Güstroviensi primario & Potentissimi Daniæ Regis Commissario militari, qui vixit ann. circit. 1627. Avoque *Henningo Troye*, Consule olim Warenensi; Matre autem *Ilsabe Nesenia*, Johannis Nesen, civis

& Mer-

& Mercatoris Güstrov. filia. Fratrem habuit *Danielem Troye*, JCtum & Consiliarium primo Saxo-Lauenburgicum postea Mecklenburgicum † 1678. Reliquit ille (Johannes) e conjuge *Catharina Donsteinia*, Hieronymi Donsteinii, civis Güstroviensis primarii, filia filium *Johannem Danielem Troye*, Reipubl. Güstrov. Secretarium hodie & Advocat. consultiss. Filiarum una *Anna Catharina*, Godofredo Schneidero, Senatori Güstroviens. nupsit an. 1678.

PETRUS TORNOW, J.U.D. consultissimus: Serenissimi Mecleburgensium Ducis nostri Gustavi Adolphi b. m. *Consiliarius*, jamque *Consul* hujus civitatis ordine primus ideoque ad Conventus Provinciales *Deputatus ordinarius*: qui sicuti ultra XXX annos Patriæ saluberrimis consiliis præsto fuit, ita in gratiam usumque posteritatis Tractatum Juridicum *de Feudis Megapolitanis eorumque jure collato tum juri Longobardico tum vicino Pomeranico atque Marchico*, e genuinis suis fontibus solidisque principiis deductum, prelo nunc parat, paratumq; fere habet, si DEus ipsi (quod optamus) vitam viresque porro concesserit. Ad Familiam ipsius quod attinet, Parentibus Majoribusque civium hic præcipuorum numero semper habitis nativitatem suam ortumque debet, qui promiscuo *Tornoviorum* atque *Tarnoviorum* nomine appellati in hac civitate dudum inclaruerunt. Idem Gener obtigit *D. Sebastiano Mejero*, Physico

co ac Medico olim hujus civitatis experientissimo, paulo superius jam laudato: Filium optimæ spei juvenem *Johannem Petrum Tornovium*, U. J. Candidatum eximium, anno 1701. præmatura morte sibi abreptum acerbissime dolet; quem dolorem tamen alter filius *Joachimus Christophorus*, JCtus hodie Raceburgensis, & qui filii loco est, Gener. plur. Rev. *M. Joachimus Ernestus Bergerus*, Pastor Ecclesiæ Berolinensis Fridericopolitanæ, cui filiam *Catharinam Dorotheam* secundis nuptiis elocavit, sublevant.

V.

JOACHIMUS VOYSAN, Consul 1570. —— 1584. antea Visitationis Ecclesiast. Secretarius, 1550. seqq. quem initia Reformationis Ecclesiasticæ multum exercuerunt in computandis reditibus sacris, ut exempla Protocolli Visit. antiquiora in Archivo Cathedrali docent. Familia autem hæc Voysaniorum in Parchimensi etiam urbe fuit florentissima, ubi illorum aliqui dignitatem Consularem sustinuerunt.

JOACHIMUS VICKE, Güstroviensis, JCtus celeberrimus ac Syndicus de patria civitate præclarissime meritus, causarum Patronus æstimatissimus, cujus dexteritatem in maximis sæpe arduisque negotiis Respubl. nostra perspexit in conventibus tam urbicis quam provincialibus † 1705. d. 4. Mart. Gener *Jo. Christophori Thilii* Provisoris olim ædis nostræ Cæcilianæ, proxima affinitate conjunctus Consiliario J. Breunec-

neccio, cujus supra facta est mentio. E filiis, quos reliquit superstites, maximus natu *Joachimus Christophorus Vicke*, JCtus & Advocatus nuper in amplissimi Senatus urbici collegium adscitus est.

W.

JACOBUS (KOPEKINUS) WÖRPEL, Senator, cujus memoria Seculo Pontificio maxime celebratur. Anno enim 1340. septuaginta marcas denariorum Slaviscalium (70. Marck wendisch / sunt 35. Marck Lüb.) in augmentum divini cultus ad comparandum Organa in Ecclesia Parochiali Güstroviensi dedisse, donasse, erogasse & promte numerasse legitur in Diplomatibus Ecclesiasticis ædis Cæcilianæ.

JACOBUS WARCKENTIN, Senator olim de hac civitate bene meritus, vixit ab ann. 1607. *Henrici Warckentinii*, civis & mercatoris hic olim præcipui filius; Socer autem D. *Johannis Gerdesii* Consulis Güstrov. superius laudati, qui filiam ejus *Helenam Warckentiniam* 1631. matrimonio sibi junxit.

HERMANNUS WALFELD, Senator & civis mercatura præstantissimus † 1670. in Westphalia ex amplissima familia natus ann. 1608. Patrem nactus *Laurentium Walfeldium*, Hypothecarium in *Langen* Westphaliæ (qui fuit frater Johannis Walfeldii J. U. D. Vice-Cancellarii, Syndici & Consulis Osnabrugensis), Matrem *Helenam Wibbelingiam*. Reliquit e conjuge *Anna*

Don-

Donsteinia, Hieronymi Donsteinii civis Güstrov. primarii filia *Laurentium* J. U. D. & Consiliar. Cancellariæ Güstrov. superius memoratum † 1690. & *Hieronymum* itidem hic Senatorem ac Mercatorem † 1692. filiamque unicam *Gustavo* Stortzen / Mercatori, jamque Senatori Reip. nostræ primis nuptiis elocatam; qui vero eadem cito demortua secundis nuptiis Gener obtigit Johanni Karnazio, Senatori, superius memorato.


JOHANNES WEDEL, J. U. D. & Advocatus Consultissimus *Andreæ Wedelii* Advocati olim Güstroviensis, Oeconomi ac Visitat. Ecclesiasticæ Secretarii filius. † 1692. admodum senex, D. Sebast. Mejeri Medici ac Physici Güstr. superius commemorati Affinis proximus.

JACOBUS WIRDIG, J. U. D. Judiciiq; Güstr. oppidani Prætor. † 1695. Patre clarus *Sebastiano Wirdig*, Med. D. ejusdemq; Profess. Rostoch. celeberr. publicis etiam scriptis claro: qui matrimonio sibi junxit *Emarentiam Catharinam Sturziam*, Christophori Sturzii, J. U. D. & Reipubl. Hamb. Practici filiam, Jacobi Sturzii Consil. & Fiscal. Güstrov. neptem, unde prognatus est filius *Jacobus Christophorus*, nunc optim. artium studiis deditus. Relicta autem vidua deinceps ad secundas nuptias transiit nupsitq; *Gustavo Hintzio*, J. U. D. & Advocato Güstroviensi, † 1703.

Z.

CHRISTIANUS ZINCKIUS, Reip. Güstrov. Senator per annos XXXVIII. clarissimus, natus Grabowiæ 1568. d. 25. Dec. Güstroviæ autem Senatorio ordini accensitus ann. 1607. In qua dignitate amplissima consenuit, mortuus tandem ann. 1645. d. 22. Maji, ætat. 77.





ERRATA

QVæ propter Auctoris absentiam & locorum distantiam irrepserunt, *Benevolus Lector* ipse, quâ est humanitate, emendare haud gravabitur. Ideo præmittuntur

(1) ADDENDA.

Part. I. pag. 151. in *Notis* de Constitutionibus seu Ordinationibus Ecclesiasticis (Mecklenburgischen Kirchen-Ordnungen) quatuor earundem Editiones modò recensentur. NB. quod intelligendum de Constitutionibus per totam Provinciam Mecklenb. promulgatis & ab omnibus reip. Statibus unanimi consensu receptis, editis nimirum ann. 1552. 1557. (1560.) 1602. 1650. Præter has quatuor Editiones, reperitur & alia eaqve paulo antiquior, Aõ. 1540. Rostoch. per Ludov. Diez typis exscripta in IV. idiomate Linguæ Sax. infer. habetqve hunc titulum: Ordeninge der Misse/ wo de van den Kerck-Heeren unde Seel-Sorgern im Lande tho Mecklenborg/ im Fürstendom Wenden/ Schwerin/ Rostock und Stargard schall geholden werden. 1540. Cum vero hæc non ubivis locorum recepta, nec sub *Principis* regentis expresso Nomine (quod in quatuor reliquis deprehenditur) promulgata sit, potius antiquata, quam antiquissima, nec ejusdem cum quatuor illis auctoritatis censetur esse.

)(Par-

Parte II. in Catal. Biogr. pag. 110. ad CASPARUM ROTERMUNDUM hæc quoqve referas: Excelluit etiam in Aulâ Suerinensi GOTISLAUS ROTERMUND Serenissimi Meclenb. Ducis JOHANNIS ALBERTI I. olim Consiliarius, Vir magnus propter Scientiam Juris civilis rerumqve usum, nec latine tantum, sed & græce perquam doctus. De quo Jo. Caselius sæpe honorificam fecit mentionem in Epistolis suis ad Viros Nobiles. Hujusqve *Gotislai* filium unicum fuisse *Casparum* nostrum testatur idem, qui Studia ipsius Academica moderatus est, Jo. Caselius Epist. 54. Volum. 2. ad Vir. Nobil. p. m. 203.

Sequuntur

(2) SPHALMATA corrigenda:

In priore parte Libelli legendum:

Pag. 9. lin. 2. *significet*, pro *significat*.
p. 10. l. 24. *habetur*, pro *habeatur*.
p. 14. l. penult. *palo* circumducentes, non *paulo*.
p. 21. l. 2. *ipsarum*, pro *ipsorum*.
p. 22. l. 13. *tributarios*, pro *tribulatarios*.
p. 28. l. *ult.* ubiqve & baptisatis.
p. 50. l. 4. legendum: *VIII.* mille pass.
p. 55. l. 13. 14. *monumentum*, pro *momentum*.
p. 60. l. 25. *tiliis*, non *filiis*.
p. 66. l. 13. *Johannem Theologum*, non *Theologorum*.
p. 74. l. penult. *foroqve* decederet.

p. 89.

p. 89. l. 15. *Venerabile*, non *venerabili*.
p. 90. l. 1. *Hodienum*, non *bodiernum*.
p. 119. l. 17. unde der Fürstenborg, non von der.
p. 130. l. 15. 16. *portatus*, non *poratur*.
p. 151. l. 21. *1560*. pro *1550*.
p. 169. l. 17. *grassatum*, non *grassata*.
p. 173. l. ult. *Lutherani*, non *Lutheri*.
p. 178. l. 20. *damnati*, pro *damnandi*.
l. 29. *delinire*, non *delinivi*.
p. 184. l. penult. *interim*, non *iterum*.
p. 185. l. 3. *suis* non minus, non *sui*.
l. 12. *d. 10. Febr.* pro *13. Febr.*
l. 14. 15. delendum: *eadem reverpente luce.* & legendum: *d. 13. Januar.*
l. ult. *minaretur*, pro *mineretur*.
p. 186. l. 16. *Augusto* Brunsv. Duci, non *Augusta*.
p. 190. l. 24. *Huic* pro *hinc*.
p. 191. l. 18. *multasfelicitates*, pro *multa*.
p. 212. l. 21. illa ann. 1701. *d. 16. Januar. hac ann. 1702.* d. 18. Febr. diem suum.
p. 214. l. 3. *posset*, pro *possem*.

In posteriore Libelli Parte s. in Catal. biogr.

Pag. 20. lin. 27. *Eldenaviensis*, pro *Eldenavicensis*.
p. 34. l. 24. *fassus* est, non *factus*.
p. 50. l. 22. *praenominis*, non *praenominio*.
p. 51. l. 19. in *quâ* B. Musæum.
p. 76. l. 21. *Herulei*, non *Herculei*.

p. 81. l. 2. *ejiceretque* Deos, pro *ejiceret*.
p. 96. l. 10. *prædicarunt*, non *prædicarent*.
l. 15. *Consiliarius* Justitiæ. non *Consiliario*.
l. 29. filiâ *prodierunt* Johannes.
p. 104. l. 19. *Ecclesiasticis*, pro *Ecclesiastis*.
p. 105. l. 26. *Camerarii*, non *Camerarius*.
p. 109. l. penult. *Naemani*, pro *Namannii*.
p. 110. l. penult. *Gustrovia*, non *Gustrovia*.
p. 111. l. 15. de *Gentzkowen*, pro *Guentzkowen*.
p. 112. l. 27. *Consiliariique*, non *Consiliariumque*.
p. 119. l. 13. *Exlegati* cura, non *Exlegatus*.
p. 120. l. 23. Secretarium Cameralem *delegit*.
p. 121. l. 1. 2. *Consiliariorum* Aulicorum.
p. 146. l. 4. *Bardovicensis*, non *Bardoviensis*.
p. 159. l. 11. *Christian. Fridericum Schneider*.

*** *** ***

Bericht an den Buchbinder.

Weil aus den Bogen C. L. O. etliche Blätter müssen hinweggeworffen werden/ wie der Durchschnitt bezeuget/ so sind an stat derselben 4. andere Blätter auff dem allerletzten Bogen des Buchs hinten angedruckt unter ihren gehörigen Buchstaben und paginis zu finden. Welche demnach wohl zu bemercken seyn/ damit sie ihre rechte stelle bekommen mögen.

)(o)(



